El. Servae mulieres, domus ministrae, quandoquidem adestis mihi hujus supplicationis comites, de hoc mecum deliberate: in tumulum fundens has libationes funebres, quomodo mitia dicam? quomodo patrem precabor? Utrum dicam a cara me caro ferre uxore marito, a matre mea? id non audeo, nec scio quid dicam, fundens hoc libum in tnmulum patris. An illam vocem dicam, ut mos est mortalibus, ut remuneretur mittentes has coronas, donumque malis dignum tribuat? An silentio inhonorato, quomodo quidem periit pater, haec effundens, quae terra bibat, abibo, ut qui sordes abjecit, a tergo vas abjiciens irretortis oculis? Hanc o amicae deliberationem capessite mecum: nam commune odium nobis domi esse putamus. Ne occultate in pectore, timore alicujus. Nam fata manent liberum pariter et eum cui manus alia imperat. Dicas, si quid his habes melius.

Cho. Veneraus tibi ut aram patris tumulum dicam, jubes enim, mentis sententiam.

El. Dicas, quemadmodum patris sepulcrum venerata es.

Cho. Libans loquere sancta benevolis.

El. Et quos illos amicorum appellabo?

Cho. Primum quidem te ipsam, et si quis Aegisthum odit.

El. Mihine ergo ac tibi haec precabor?

Cho. Ipsa tu haec jam cognita dicas.

El. Et quem alium praeterea huic parti adjungam?

Cho. Memento Orestae, sit licet exsul.

El. Istud bene, nec parum me recte monuisti.

Cho. Sontibus nunc, recordans caedem —

El. Quid dicam? doce imperitam et expone.

Cho. His ut veniat aliquis Deus vel mortalium aliquis.

El. Utrum judicem an punitorem dicis?

Cho. Simpliciter dicens, qui eos invicem trucidet.

El. Num vero has meas preces Dii pias esse judicabunt?

Cho. Cur non? adversario rependere mala?

El. Nuntie maxime superorum et inferorum, adjuva, Mercuri, qui praees inferis, compellans mihi Deos qui sub terra sunt, ut meas preces audiant, paternae domus custodes, et Terram ipsam, quae gignit omnia et alit et rursus flumen eorum accipit: atque ego hanc libationem fundens mortuis vociferor, appellans patrem, miserere mei et cari Orestae, ut imperemus domui. Nam nunc quasi venundati vagamur a matre, virumque pro te accepit Aegisthum, qui tuae caedis conscius est. Et

equidem servae instar sum: ex opibus vero fugatus Orestes est: illi vero in opibus tuo partis labore luxuriant magnopere. Ut vero veniat Orestes huc fortuna aliqua precor a te. Et tu exaudi me, pater, mihique ipsi tribuas, ut matre multo sim continentior magisque pia manu. Nobis quidem has preces: adversariis vero dico ut appareat tui, pater, vindex, utque interfectores invicem jure pereant. Has in medio pono malas imprecationes, illis dicens has malas imprecationes. Nobis vero bona mitte supra, cum Diis et terra et victrice justitia. Talibus precibus has infundo inferias. Vos vero fletibus eas ornare oportet, paeana mortui canentes.

Cho. Mittite lacrymas sonoras luctuosas domino luctuose perdito, in vallum hoc malis carisque, quae averruncans expiatio abominanda est, effusis inferiis. Audi me, audi, o venerande domine, ex nubila mente precantem. Vae vae vae vae; veniat aliquis vir fortis, liberator domus, et Scythica manibus retracta in opere tela torquens Mars, et cominus ipsis capulis vibrans enses.

El. Habet jam, quas terra bibit, pater inferias. Verum novae hujus orationis estote participes.

Cho. Dicas: saltat mihi pectus timore.

El. Video hunc abscissum cincinnum in tumulo.

Cho. Cujus tandem viri vel decorae virginis?

El. Id quivis facile indicio judicare potest.

Cho. Quomodo ergo senior a juniore didicero?

El. Non est praeter meum qui eum absciderit.

Cho. Quippe infesti sunt, quos crine lugere decebat.

El. Et vero hic valde est adspectu similis.

Cho. Quibus crinibus? id enim discere cupio.

El. Nobis ipsis magnopere similis est adspectu.

Cho. An ergo Orestae hoc occulte donum sit?

El. Maxime illius cincinnis similis est.

Cho. Et quomodo ille huc venire ausus est?

El. Misit abscissos capillos gratiam patris.

Cho. Non minus hoc rursus dignum lacrymis mihi dicis, si hanc terram nunquam pede continget.

El. Et mihi accidit in corde aestus bilis: icta sum quasi perforante telo: et ex oculis siticulosae guttae mihi profusae cadunt imbris procellosi, hunc videnti cincinnum: nam quomodo credam civium aliquem alium hujus crinis esse dominum? verum non eum interfectrix totondit, mater mea, minime cognominem sententiam in liberos impiam habens. Ego vero dubito, quomodo continuo hoc probem, esse hoc ornamentum carissimi mihi mortalium Orestae: at spe allicior. Vae: utinam haberet vocem ratione praeditam, nuncii instar, ne dubia moverer, verum aut bene constaret mihi hunc cincinnum respuere, si ab inimico capite abscisus erat, aut cognatus quum esset, mecum lugere posset, decorans huncce tumulum et patri ferens honorem. Verum scientes Deos invocamus, qualibus procellis, navigantium instar, jactemur: verum si oportet nos reperire salutem, ex parvo semine magna radix exsistet. Et vero vestigia pedum similia, alterum indicium, ejusdemque formae ac mea. Nam duae sunt hae descriptiones pedum, ipsius illius et alicujus comitis. Calces et musculorum dimensiones meis conveniunt vestigiis. Est mihi dolor quasi parturientis et mentis vastatio.

Or. Precare cetera, Diis ratas preces nuncupans, ut bene succedant.

El. Quid ergo nunc Deorum voluntate consequor?

Or. In adspectum venisti eorum, quos flagitasti dudum.

El. Et quem nosti a me vocari mortalium?

Or. Novi te Orestem colere impense.

El. Et qua in re igitur voti compos fio?

Or. Ille ego sum: noli quaerere amiciorem quam me.

El. Num vero dolo aliquo, o hospes, me irretis?

Or. Ergo jam mihi ipsi insidias facio.

El. Num vero in meis malis ridere cupis?

Or. Jam etiam in meis, si quidem in tuis.

El. An ut Orestem hac te voce appello?

Or. Ipsum me quidem videns difficulter cognoscis: quum vero adspiceres caesos hos crines sepulcrales, efferebaris et me videre videbaris, quumque vestigia mei incessus lustrares. Tui fratris consimilium tuo capiti adspice cincinnum crinium, caesis comparans. Et adspice hoc textile, tuae opus manus, et virgarum plagas, et quas indidisti bestiarum imagines. Tempera tibi, neve gaudio mente percellaris: nam carissimos novi nobis esse infestos.

El. O carissime,' quem patris domus desideravit, in quo cum lacrymis salutis spem posuimus, virtute fidens domum patris recuperabis. O dulcis ocule, qui quatuor mihi partes imples: compellare te necessario debeo patrem, et matris in te mihi vergit caritas: illa summo jure invisa est: et immolatae crudeliter sororis germanae: fidusque mihi frater eras et venerandus. Tantum Robur et Jus cum tertio summo omnium Jove mihi adsint.

Or. Jupiter, Jupiter, adspice haec: adspice prolem orbam patre aquila, mortuo in retibus et laqueis horrendae viperae. Hos orbos jejuna premit fames: neque enim illa proles satis robusta est ut paternam praedam afferat tentorio. Sic tibi me et hanc, Electram dico, videre licet, orbatam patre prolem, ambo pariter domo

pulsos. Et patris, qui tibi sacra faciebat et te magnopere honorabat, si hos pullos perdideris, unde habebis similis' manus opulentum donum? nec si aquilae prolem perdideris, postea poteris fida signa mittere mortalibus: nec regia haec stirps, si tota arefacta erit, tuas aras adjuvabit diebus sacrorum. Serva: ex parva levabis domum et magnam efficies, visam nunc graviter cecidisse.

Cho. O pueri, o servatores arae patris, silete: ne quis comperiat, o pueri, et linguae gratia omnia ista enunciet dominis: quos ego videam aliquando mortuos in nidore piceo flammae.

Or. Non prodet Loxiae potens oraculum, jubens me in hoc me inferre periculum, et incitans magnopere, et procellosas calamitates mihi sub jecore calido fore nuncians, nisi persequar patris mei reos, eodem modo invicem interficere jubens, spoliatione poenaque furentem: meque ipsum hujus rei poenas daturum esse mea anima dixit, habentem multa mala tristia. Nam et ex terra mortalibus provenientia iratarum dixit Dearum placamina, et nostros utriusque morbos, invadentem carnes crudis dentibus impetiginem, exedentem vetus robur: et alba tempora ex hoc morbo provenire: aliosqne dixit impetus Erinnyum, e sanguine paterno profecturos, quum clare visurus essem per tenebras moventem cilia. Nam caliginosum inferorum telum e consanguineis exortum, quorum morte piaculum conceptum sit, et rabies et temere nocte exoriens timor movet, turbat et ex urbe fugat aeneo flagello foedatum corpus. Nec talibus licere partem crateris habere, nec libandi in foederibus humoris: et ab aris arcere illum non visam patris iram: recipere illum et expiare neminem: omnibusque honoribus ami-

cisque carentem mori aliquando, male maceratum pernicioso interitu. Hujusmodi ergo oraculis confidere oportet. Quodsi non confiderem, tamen facinus perficiendum est. Multae enim in idem concidunt cogitationes, Deique jussa, et magnus luctus propter patrem susceptus, et praeterea me premit pecuniae inopia, ne cives clarissimi mortalium, qui Trojam glorioso consilio everterunt, duabus feminis sic pareant. Nam animus ejus muliebris est: an non sit, mox intelliget.

Chorus. Verum o magnae parcae, voluntate Jovis haec ita eveniant, qua Justitia pergit. Pro lingua infesta lingua infesta fiat: debitum exigens justitia alte clamat: et pro ictu lethali ictum lethalem rependat. Qui fecit, huic patiendum esse, hoc vetustissimus sermo dicit.

Or. O pater, infelix pater, quid tibi dicens aut quid faciens e re fecero e longinquo, ubi te habent thalami? Tenebris lux est par, et gaudia similiter appellata sunt fletus nobilis Atridis, pristinis aedium dominis.

Cho. Mi fili, animum mortui non domat ignis dens vorax, verum ostendit postea iras. Defletur moriens, sed apparet rursus nocens. Justus de patribus ac parentibus fletus exquirit omnia, immensus turbatus.

El. Audi vero, pater, per vices fletum lacrymosum. Binorum liberorum tibi sepulcralis luctus gemitus edit. Tumulus supplices recepit exsulesque similiter. Quid horum bene? quid sine malis? nonne omnium summa calamitas?

Cho. Verum etiam ex his Deus si volet dabit voces laetiores, et pro fletu sepulcrali paean qui in domo regia canatur recentem amicum recipiet.

Or. Utinam enim sub Ilio ab aliquo Lyciorum, pater,

hasta caesus interfectus fuisses: relicta domi gloria, liberorumque viis conspicuo aevo condito, alte exstructum haberes tumulum in terra transmarina, non miserandum tuis: amicus amicis qui ibi cum laude occubuerunt, sub terra decorus venerandus dux, et minister summorum istic in inferis tyrannorum. Nam rex eras dum vivebas, ex iis, qui fato datam sortem et imperans mortalibus sceptrum manibus implent.

El. Verum nec sub Trojae moenibus occisus, pater, cum reliquorum interfecta multitudine ad Scamandri fluvium sepeliri debebas. Sed prius interfectores ejus sic interiisse debebant, ut fatum eorum mortale procul aliquis audivisset, quum his laboribus caruisset.

Cho. Ista quidem, o filia, auro potiora magnaque fortuna et hyperborea majora dicis: est enim dolor tibi. Verum duplicis hujusce flagelli sonitus venit: alterorum quidem adjutores, eorum quidem qui sub terra sunt: alterorum vero, dominorum illorum odiosorum, manus nefariae: verum liberos is attingit propius.

El. Hoc velut penetrans venit quasi telum. Jupiter, Jupiter, qui ex inferis emittis serae poenae cladem audaci mortalium nefariaeque manui, perficiantur haec parentibus.

Cho. Detur mihi acerbum ejulatum canere viro caeso et muliere perdita. Quid enim mente occulo? Divinum numen sane volitat: ante proram animi acerba commovetur ira et infestum odium.

Or. Et quando praepotens Jupiter manum infliget, eheu eheu, capita frangens? et fiducia huic terrae redibit? Jus ex injuriis repeto. Audite me, quae res mortuorum ulciscimini.

Cho. Verum lex est, effusas humi guttas cruentas alium praeterea postulare sanguinem. Nam vocat perniciem Erinnys ab iis qui prius interfecti snnt, alteramque cladem quae post cladem irruat.

Or. Qno quo jam inferorum imperia? Videte potentes dirae mortuorum, adspicite Atridarum reliquias inopes domusqne suae honore carentes. Quo se quis vertat, o Jupiter?

Cho. Agitatur iterum mihi cor, istam lamentationem audienti. Et modo malam spem habeo, mihique pectora ad tales voces perfunduntur caligine audienti: quum vero fortes voces audio, fortia mea pectora repulere dolorem, ut res mihi bene eventura videatur.

Or. Quid misere nos dicere oportebit? num dolores quos a parentibus patimur? Licet blandiri, verum illi non mulcentur. Nam ut crudelis lupus placari nequit a matre ira.

Cho. Planctum edidi Arium vel Cissiae more praeficae: mordicus plangentes multumque vagantes videre licebat et frequenter extensas manus superne longeque: strepituque sonabat pulsatum caput meum miserrimum.

El. Io io infesta audacissima mater, infestis in exsequiis comitatu luctuque carentem regem virum sine fletu sepelire sustinuisti.

Or. Omnia dixisti ignominiose, hei mihi. Verum patris ignominiam sane luet per Deos perque meas manus. Tum ego caede facta interearn.

Cho. Laceratus vero est, ut hoc scias. Quomodo illum confecit, ita eum sepelit, sortem constituere cupiens intolerabilem vitae tuae. Audis patris aerumnas ignominiosas.

El. Narras patris mortem: ego vero remota fui, contemta, vilis. Inque recessu seclusa noxii canis instar risu promptiores protuli guttas, gaudens quod multarum fletum lacrymarum occultarem.

Cho. Haec audita inscribe menti, perque aures penetret sermo in tranquillum mentis fundum. Nam haec ita sunt: reliqua vero ipse studiose cognoscas. Oportet inflexibili animo advenire.

Or. Te appello, adsis pater amicis.

El. Et ego flens acclamo.

Cho. Turbaque haec tota communiter acclamat.

Or. Audi et in lucem prodi et adsis contra hostes. Mars Marti congreditur, Jus Juri. Io Dii! ad justum exitum perducite.

Cho. Tremor mihi obrepit preces audienti. Fatum manet dudum, precantibus vero veniat. Io aerumnae insitae, et importunus mali sanguineus ictus. Io tristes et intolerandae curae: io non sedandi doloris domui ulcus inditum. Hanc acerbam vindictam (canere) sanguineam, non eminus nec ab aliis extrinsecus sed ab ipsis (inferendam), hoc Dearum quae sunt in inferis carmen est. Verum audite, beati Inferi, has preces et benevole liberis mittite auxilium ad victoriam.

Or. Pater, qui modo non regio obiisti, des mihi precanti tuae domus imperium.

El. Et ego, pater, hoc peto a te, ut fugiam grave fatum, quod Aegistho intulero.

Or. Sic enim tibi epulae legitimae condentur mortalium: sin minus, juxta lautas terrae hostias plenasque nidore inhonoratus eris.

El. Et ego libamina tibi hereditatis meae feram

nuptialia paternis ex aedibus, omniumque primum hunc colam tumulum.

Or. O terra, emitte mihi patrem ut pugnam adspiciat.

El. O Proserpina, da decoram victoriam.

Or. Memento lavacri, in quo interfectus es, pater.

El. Memento laquei, quo te advenientem exceperunt.

Or. Vinculis sine ferro captus es, pater.

El. Et in structis turpiter tegumentis.

Or. An excitaris his ignominiis, pater?

El. An erectum attollis caput tuum carissimum?

Or. O mitte jus, quod in pugna adjuvet amicos: o refer damna paria, si quidem victus invicem vincere cupis.

El. Et hanc postremem vocem audi, pater, videns hos liberos assidentes sepulcro: miserere filiae, simulque prolis masculae, et noli delere hoc Pelopidarum semen. Sic enim ne mortuus quidem interiisti. Nam liberi viro fama salusque sunt mortuo, velut suberes agunt rete, e profundo servantes deductum lini filum. Audi, propter te hae sunt querelae, et ipse servaris, si hunc sermonem honoras.

Cho. Et vero hunc sermonem reprehensione majorem extendistis, compensationem tumuli sortis indefletae. Reliqua vero, quandoquidem ad faciendum mente erectus es, jam perfice et sortem experire.

Or. Erunt ea. Verum quaerere non est alienum a proposito, qua causa quove consilio libamina miserit, sero honorans cladem insanabilem. Mortuo nec spiranti inanis gratia missa est: non possum haec intelligere dona, minora sunt peccato. Nam cuncta si quis profundat pro uno sanguine, frustra laborat: sic ratio est. Verum tu mihi, si nosti, haec volenti narraveris.

Cho. Novi, mi fili, nam adfui; e somniis et noctivagis erroribus agitata haec libamina misit mulier impia.

Or. An vero novistis somnium, ut recte dicere possitis?

Cho. Parere sibi videbatur draconem, ut ipsa dicit.

Or. Et quem finem quemve exitum habet narratio?

Cho. In fasciis illum pueri instar se movisse.

Or. Quod nutrimentum petentem, recens natum anguem?

Cho. Ipsa praebuit mammam in somnio.

Or. Et quomodo? num mamma invulnerata fuit ab odioso fero?

Cho. Ut in lacte grumum sanguinis traxerit.

Or. Non sane inane est hominis somnium.

Cho. Illa vero e somno clamavit attonita. Multae lampades, quae occaecatae tenebris fuerant, refulsere in domo propter dominam: et mittit deinceps haec sepulcralia libamina, remedium fore sperans ad resecandas miserias.

Or. Verum precor hanc terram patrisque tumulum, hoc somnium ut mihi eventum habeat. Et judico illud esse aptum. Nam si ex eodem loco quo ego proveniens anguis meis fasciis instructus fuit, et mammae inhiavit, quae me nutrivit, grumoque sanguinis lac dulce miscuit: illa vero propter metum huic malo ingemuit: oportet illam, ut aluit portentum terribile, violenter mori: ego vero in draconem conversus illam interficiam, ut hoc somnium dicit. Haruspicem te de his esse volo.

Cho. Fiat ita. Reliqua vero doce amicos, aliis quidem imperans quod faciant, aliis quod praetermittant.

Or. Simplex oratio est: haec quidem introeat: suadeo

vero ut occulat haec mea proposita: ut, quum dolo virum venerandum interfecerint, dolo etiam capti in eodem laqueo moriantur: quomodo etiam Loxias dixit deus Apollo, vates antehac verus. Nam peregrino similis, omnique viatoris ornatu indutus, veniam ad aulae portas cum hoc Pylade, ut hospes et amicus domus. Ambo vocem emittemus Parnasiam, linguae sonum Phocensis imitati. Quodsi autem janitorum nemo serena mente nos recipiet, quandoquidem domus insanit pravitatibus, manebimus ita, ut aliquis domum praeteriens mentem advertat et haec dicat: quare tandem a janua supplicem Aegisthus arcet, si quidem domi praesens est et novit? Si vero aulae limen januae transgressus ero, illumque in sella patris sedentem inveniam, aut etiam obviam veniens a fronte mihi attollet deinceps oculos et in me oculos conjiciet: crede mihi, priusquam dicat: unde hic hospes? mortuum reddam, circumventum ferro celeri. Caedisque Erinnys non indigens bibet tertium meri sanguinis haustum. Nunc vero tu quidem recte cures quae in domo gerenda sunt, ut congrue haec eveniant. Vos vero adhortor ut faveatis linguis, et sileatis ubi oportet, et opportuna dicatis. Reliqua hunc moneo ut huc mecum vadens curet, mihique armorum proelia provehat.

Chorus.

Multa quidem e terra proveniunt horrenda multique timorum dolores: et anguli maris repleti sunt infestis mortalium generi belluis: aluntur etiam inter coelum terramque sublimia fulgura: volantia et pedestria animalia, et ventosarum tempestatum iram aliquis narrave-

rit: verum effrenatam hominis audaciam, mulierumque impetu ruentium, et quidvis audentes hominum amores cladibus comitatos, consociatosque concubitus quis narraverit? Imperans mulieribus amor inamabilis in bestiis et hominibus reliqua male vincit. Hoc sciat, si quis non levi mente accepit consilium igneum, quod filii interfectrix misera Thestias aliquando molita est, comburens titionem cruentum, aequalem filio ex eo tempore, quo vagiens e matre prodiit, perque vitam ipsi parem ad constitutum fato diem. Alteram oportet aliquem in sermone odisse cruentam Scyllam, quae manu hostium carum virum perdidit, Creticis aureis monilibus adducta, donis Minois, Nisumqne immortali crine spoliavit consulto, impudens, quum ille per somnum spiraret; verum illam Mercurius assecutus est. Quum autem immites labores memoraverim, horreo intempestive (memorare) conjugium invisum, abominandum domui, structasque feminea mente insidias viro armifero, viro hostibus infesto, nimisque focum frigentem domus, femineam ignavam hastam. Malorum praecipuum sermonibus fertur Lemnium: defletur nimirum detestandum: verum hoc malum aliquis malis Lemniis rursus aequipararet. Inviso Diis dolore perit genus mortalium ignominia obrutum. Nam nemo facere veretur id, quod Diis odiosum sit. Quid horum non jure colligo? Gladius amarus prope pulmones est et penetrare festinat Justitia jubente. Nam quod justitia vetat, non humi calcatur pedibus. Cunctam Jovis violarunt majestatem nefarie. Verum Justitiae radix firmatur. Procuditque Fatum et fabricatur enses: progeniemque infert domui sanguinis vetustioris. Vindicat piaculum tandem clara et profunda Erinnys.

ORESTES, PYLADES, FAMULUS, CHORUS.

Or. Puer, puer, audi sonitum januae aulae. O puer, puer, jam iterum, ecquis domi est? Tertium nunc clamo ut exeatur domo, si quidem eam hospitalem esse Aegisthus vult.

Famulus. Sit ita: audio: cujas es hospes? unde?

Or. Nuncia dominis domus, ad quos venio et novam famam fero. Propera, quandoquidem etiam noctis currus ater instat, tempusque est peregrinatoribus demittere anchoram in domo, quae amet excipere hospites. Exeat aliqua quae domui locoque praeest femina. Virum tamen prodire praestat: tum enim non obscura in colloquio pudor verba reddit: loquitur metus expers vir ad virum et aperte sententiam significat.

ORESTES, PYLADES, CLYTAEMNESTRA,
FAMULUS, CHORUS.

Clytaemnestra. Hospites, dicite, si qua re opus sit: nam praesto sunt, quae hanc domum decent, balneae calidae, et laborum fomenta, strata, justorumque oculorum praesentia. Si quid aliud fieri oporteat, quod majore consilio indigeat, id erit viris faciendum, quibuscum communicabimus.

Or. Hospes sum Daulius ex Phocide: eunti portantique meam ipsi sarcinam Argos, quemadmodum huc accedens solvi pedes, ignoto ignotus vir obviam factus, quum interrogasset me mihique viam monstrasset, Strophius Phocensis, nam nomen ejus comperi in colloquio:

quandoquidem tamen, inquit, hospes, Argos proficisceris, dic parentibus, optime memor, Orestem esse mortuum; oblivisci noli. Sive autem sententia amicorum ejus vincet ut reportetur, sive ut hic sepeliatur inquilinus, et in omne tempus perpetuum hospes, jussa ea rursus affer. Nunc enim urnae aëneae latera cineres obtegunt viri bene defleti. Haec quae audivi dixi. Num autem dominis et cognatis dicam, nescio, verum parentem scire oportet.

Cly. Vae mihi, dixisti ut funditus perimus. O dirae domus hujus, luctari adversus vos difficile est: ut multa quaeque procul tuta erant conspicitis et arcu e longinquo assecutae domatis, me miserrimam orbatis amicis. Et nunc Orestes, nam sorte usus felici e luto pernicioso pedem extulerat, nunc quae in domo remedium spesque pulcri gaudii erat, eam eversam existima.

Or. Ego vero hospitibus tam beatis gratarum rerum causa notus fieri vellem et hospitio jungi: quid enim hospitibus hospite benevolentius? Sed erat, mea sententia, impietatis, talem rem non narrare amicis, quum pollicitus sim et hospito conciliatus.

Cly. Non sane minus dabuntur tibi quae te digna sunt, nec minus eris domui acceptus. Alius pariter venisset haec nunciaturus. Verum est tempus hospites die peracto accipere quae magno itineri conveniant. Duc illum in hospitalia virorum cubicula, et pedissequos hos et itineris comites: ibique accipiant, quae decent hancce domum. Suadeo ut ista facias ut rationem redditurus. Nos vero haec cum domus dominis communicabimus, nec inopes amicorum de hoc casu deliberabimus.

Chorus.

Jam, carae domus famulae, quando tandem robur vocis ostendemus propter Orestem? O veneranda terra, et venerande tumule sepulcri, qui nunc super rectoris regii corpus jaces, nunc audi, nunc juva: nunc enim maxime tempus est descendere una cum illo captionem fallacem, Mercuriumque infernum et nocturnum ad haec venire lethalia certamina.

Nutrix, Chorus.

Cho. Videtur hospes mali auctor esse: nutricemque hanc Orestae video flentem. Quo jam ingrederis, Cilissa, per portas aedium? dolor tibi comes est mercede carens.

Nutrix. Aegisthum domina quam citissime ad hospites vocari jubet, ut veniat et magis perspicue vir a viro recens nunciatam hanc famam comperiat. Ad famulos quidem intra torvos oculos risum occultum habuit propter ea, quae ipsi felicem habent eventum, verum domui huic pessime est propter famam, quam manifesto hospites nunciarunt. Profecto ille audiens mentem oblectabit, quum sermonem audiverit. O me miseram: ut veteres dolores, quos experta fui, quum vix tolerabiles essent, in hac Atrei domo meam contristarunt in pectore mentem. Necdum tamen tale malum pertuli. Nam reliqua quidem mala patienter exantlavi: sed carum Orestem, mei animi curam, quem nutrivi de matre acceptum, et noctivagorum altorum clamorum et multa et molesta inutilia mihi, quae illa sustinebam. Nam ratione non utentem infan-

tem, tamquam pecudem, nutrire oportet modo mentis: nam quomodo aliter fieri posset? Neque enim loquitur quidquam infans dum est in fasciis, si fames vel sitis aliqua vel mingendi cupido eum habet: recens venter infantium facit ea quae vult. Haec ego quum divinarem, et saepe, ut credo, deciperer, infantisque fascias lavarem, fullo et nutritor idem munus habebant. Ego duplicia haec habens opificia Orestem accepi a patre. Nunc mortuum esse misera audio. Verum eo ad virum hujus domus perditorem, lubens hunc nuncium comperiet.

Cho. Quomodo ergo jubet illum instructum venire?

Nu. Num rogas quomodo? Dic iterum, ut magis perspicue intelligam.

Cho. Utrum cum militibus an incomitatum?

Nu. Jubet illum adducere armatos comites.

Cho. Noli vero id nunciare detestando domino: verum ut solus veniat ut sine metu rem comperiat hortare eum quam citissime laeta mente. Nam in nuncio occulitur sermo eventus felicis.

Nu. Num vero gaudes praesente nuncio?

Cho. Verum si Jupiter aliquando malorum aversionem dabit.

Nu. Et quomodo? Orestes spes domus periit.

Cho. Nondum: vel tardus vates hoc intelligat.

Nu. Quid dicis? numquid habes diversum a dictis?

Cho. Abi et nuncia, mandata perage. Curant Dii ea quae curant.

Nu. Verum eo et in hoc tibi obtemperabo. Eveniat quam optime Deorum munere.

Chorus.

Nunc precanti mihi, Jupiter pater Deorum Olympiorum, da sortem, utque contingat mihi reapse videre, quae probis recteque cupientibus videre contingat cum justitia. Omnem orationem dixi, Jupiter, tu vero eam serva. Vae vae, et illum qui intra domum est supra hostes o Jupiter pone. Quandoquidem illos in altum tulisti, duplices triplicesque poenas lubens retribues. Scias cari viri pullum orbum junctum esse currui calamitatum, et in cursu modum ei ponas. Utinam aliquis hoc solum, graduum qui perficiuntur propositum, videat retinere modum. Quique in domo opulentum angulum habitatis, audite, concordes Dii. Agite, antiquorum facinorum sanguinem redimite vindicta nova. Vetus caedes ne in domo amplius pariat, haec caedes si feliciter peracta erit. O qui habitas magnum ostium, da revideat bene domum viri, et adspiciat libere splendideque amicis oculis tegumenta obscura: adjuvetque lubens juste summoque favore filius Majae eventum rei prosperum. Multa alia nunciabit occulta vaticinans: vocemque non visam edens noctem tenebrasque in vultu gerit, interdiu non lucidior. Et tum nimirum modum incantatorum, domui expiatorium, femineum, feliciter institutum, communiter pulsatum, mittemus. (Sive: et tum nimirum modum incantatorum, ad expiandam domum feminea communique pulsatione feliciter institutum, mittemus.) Civitati haec bene erunt: meum, meum lucrum hoc crescit: ab amicis malum recedit. Tu vero forti animo, quum vices operis venerint, in patris opere acclamans patris vocem matri, te filii

nomine compellanti, et terminum ponens calamitati ignominiosae, Perseique habens in pectore animum, infernis amicis superisque exsequens tristes iras ante gaudia, cruentam cladem intus perfice et perde mortis auctorem.

AEGISTHUS, CHORUS.

Aegisthus. Venio equidem non sponte mea sed a nuncio arcessitus: nam novam famam audio a quibusdam advenientibus hospitibus narrari, minime optatam, mortem Orestae. Et hoc foret onus domui sustinendum terribile post vulnus prius crudum et mordens. Quomodo hujus rei veritatem et perspicuitatem judicabo? Num a mulieribus repleti terrore sermones per aërem volant, morientes incassum? Quid horum dicens meae menti aperire potes?

Cho. Audivimus quidem, verum intra domum et ab hospitibus comperito. Nihil nuncii valent prae eo, quod ipse vir de his rebus compererit.

Ae. Verum videre et scrutari nuncium volo, utrum ipse prope morientem adfuerit, an ex obscuro rumore accepta loquatur. Non sane mentem oculatam decipiet.

CHORUS, AEGISTHUS *intus.*

Cho. O Jupiter, Jupiter, quid dicam? unde incipiam has preces et supplicationes? Quumque tantus meus amor sit, quomodo ei paria verba loqui potero? nunc enim aut foedatae cuspides ensium crudelium omnino efficient domus Agamemnoniae interitum in omne tempus, aut ignem lucemque accendens propter libertatem etiam civitatis imperium habebit, patrum altam fortunam. Talem luctam

cum duobus adversarius unus Orestes heros commissurus est. Fiat cum eventu victoriae.

Ae. Vae vae, vae misero mihi.

Cho. Age agedum. Quid agitur? quis eventus domui est? discedamus dum res perficitur, ut videamur extra culpam horum malorum esse: nam certaminis finis jam eventum habet.

CHORUS, FAMULUS.

Fa. Vae mihi iterumque vae, confecto domino, vae jam denuo in tertia compellatione. Aegisthus jam non est. Verum aperite quam citissime et januam gynaeconitidis solvite pessulis: et sane vigente opus est, non ut auxilietur confecto: quomodo enim id fieri possit? vae vae. Surdis clamo, et incassum dormientibus irrita vociferor. Ubi Clytaemnestra? quid agit? Nunc ejus collum in novacula mox casurum videtur, jure caesum.

CHORUS, FAMULUS, CLYTAEMNESTRA.

Cly. Quid negotii est? quem clamorem excitas domui?

Fa. Mortuos vivum interficere dico.

Cly. Vae mihi. Intellexi vocem ex aenigmatibus. Dolis peribimus, quomodo etiam perdidimus. Det aliquis mortiferam securim celeriter: sciamus, utrum vincamus an vincamur: nam eo hoc malum nobis progressum est.

CHORUS, CLYTAEMNESTRA, ORESTES, PYLADES.

Or. Te quoque quaero: huic satis est.

Cly. Hei mihi. Periisti, carissime Aegisthe?

Or. Amasne virum? ergo in eodem tumulo jacebis: mortuum haud sane unquam prodes.

Cly. Abstine, mi fili, et hanc verere, mi fili, mammam, ad quam tu saepe dormivisti et simul gingiva dulce lac suxisti.

Or. Pylade, quid faciam? num matrem interficere verebor?

Pylades. Ubi ergo sunt reliqua oracula Loxiae Pythia? fidaque jurumjurandorum sanctitas? Cunctos potius inimicos existima quam Deos.

Or. Judico te vincere, et mihi bene suades. — Sequere, prope ipsum hunc te mactare volo: nam vivum etiam illum patre meo potiorem duxisti: cum hoc mortua dormi: quandoquidem amas hunc virum, eum vero quem amare te oportebat odisti.

Cly. Ego te nutrivi, et tecum senescere volo.

Or. Quippe patris mei interfectrix mecum habitabis?

Cly. Fatum harum rerum, mi fili, causa fuit.

Or. Et hanc ergo mortem fatum paravit.

Cly. An non times parentis diras, mi fili?

Or. Nam quae me peperisti abjecisti in infortunium.

Cly. Non abjeci, quae misi in domos hospitales.

Or. Injuste venii, quum sim patris liberi.

Cly. Et ubi pretium est, quod accepi?

Or. Pudet me, hoc tuum dedecus exprobrare aperte.

Cly. Ne pudeat, verum etiam patris tui pariter dic errores.

Or. Ne accusa laborantem, dum ipsa intus sedes.

Cly. Grave est mulieribus arceri viro, mi fili.

Or. Verumtamen viri labor alit mulieres sedentes domi.

Cly. Interfecturus videris, o fili, matrem?

Or. Tu temet ipsam interficies, non ego.

Cly. Vide, cave matris infestas canes.

Or. Et quomodo patris fugiam, si hoc misero?

Cly. Videor lugere viva ad tumulum frustra.

Or. Nam patris mors hanc tibi mortem statuit.

Cly. Hei mihi, partum hunc anguem alui. Profecto vates timor e somnio fuit.

Or. Interfecisti quem non decuit, et patere quod non decet.

Cho. Gemo quidem etiam horum duplicem interitum. Verum quando ad summum multi sanguinis pervenit multa passus Orestes, hoc tamen in pretio reponimus, oculum domus non funditus periisse.

Chorus.

Venit vindicta Priamidis aliquando gravisque poena. Venit domum Agamemnonis duplex leo, duplex Mars. Locutus est ad omnes Pythii consultor exsul, rectis divinitus consiliis excitatus. Canite o domui regiae data malorum effugia direptionisque bonorum ex duobus sceleratis, infortunii miseri. Ad illum, cui curae erat occulta pugna, dolosa poena venit. Tetigit proelio manum vera Jovis filia: Justitiam illam appellamus mortales recte: quae mortiferum in hostes spirat odium. Quae quidem Loxias Parnassius, habitans magnum angulum, duxit non visus ad litus terrae dolosae: illam tandem invasit, quae hanc affecit injuria. Superatur aliquo modo divinum numen propterea quod non obtemperat malis: verum revereri oportet coeleste imperium. Licet conspicere lucem: magnumque mihi demtum est frenum domus. Exsurge sane domus: per tempus nimis diuturnum humi

strata jacuisti semper: mox tempus rerum perfector omnium mutabit januam aedium, quum a foco omne piaculum exterminaverit lustrationibus omnis purgatio. In specioso toro fortuna clamantibus constituit tetra auditu. Aedium incolae mutabuntur; licet conspicere lucem.

Orestes, Chorus.

Or. Adspicite terrae hujus duplicem tyrannidem, patrisque interfectores et domus eversores. Superbi quidem erant, in sellis tunc sedentes, et nunc quoque amici inter se, ut sortem adspicientes conjicere licet, jusque jurandum in fide manet. Conjurarunt enim se mortem patri meo misere illaturos et morituros conjunctim: eaque jurajuranda eventum habent. Videte porro, horum malorum testes, machinam, vincula patri misero, laqueosque manuum pedumque jugum. Extendite illa, et circulo prope stantes ostendite tegumentum viri, ut videat pater, non meus, sed qui haec adspicit omnia, Sol, impium meae matris opus. Ut mihi aliquando testis adsit in judicio, juste me hanc persecutum esse caedem matris: nam Aegisthi non dico caedem: nam habet legis poenam, convenientem adultero: sed quae viro hoc malum detestabile struxit, ex quo liberorum sub pectore portavit onus, tum carum, at nunc inimicum, ut ostendit, malum. Quid tibi videtur? Num muraena vel vipera fuit, quae putrefaceret quem tetigisset alium, sine morsu, propter audaciam et injustum animum? Quo illud nomine appellem et verbis pejoribus abstinebo? laqueum ferae, an arcam funebrem, qua mortuus involutis pedibus contegatur? rete sane et cassidem dixeris et pedum vin-

cientia velamina. Talem possederit latro fraudationem hospitum, et vitam transigens in rapienda pecunia: hujusmodi dolosa machina multos interficiens multum oblectet mentem. Talis ne mihi uxor domi contingat: prius voluntate Deorum sine liberis moriar.

Cho. Ah, ah, tristia facta: odiosa morte peremtus es. Vae, vae: etiam alteri tempore efflorescit clades.

Or. Fecit, an non fecit? testatur mihi hoc pallium, ut tinxit illud Aegisthi gladius. Caedisque respersio tempus adjuvat, multos colores perdens variarum imaginum. Nunc illum laudo, nunc deploro praesens; et paterno sanguine tinctum hoc textile appellans doleo quidem facta sortemque totumque genus, quum non invidenda habeo piacula hujus victoriae.

Cho. Nemo mortalium sine damno per totam vitam impunitus transibit: in laborem venit alius continuo, alius veniet.

Or. Verum ut cognoscatis, neque enim novi quorsum hoc evadat, nam quasi cum curru extra curule spatium agit victum me mens contumax, et in pectore metus canere et saltare odio paratus est. Verum dum etiam mentis compos sum, nuncio amicis, et matrem me ajo non sine jure interfecisse, quae piaculum interfecto patre fuit et Deorum odium. Quique cupidinem mihi hujus audaciae dedit, Pythium praedico esse Apollinem, vaticinatum mihi, hoc facto extra malam culpam me fore, si vero praetermisissem, non dicam poenam: nam arcu nemo illa mala attinget. Et nunc videte me, ut ornatus hoc ramo et serto adibo mediam terrarum sedem, solum Apollinis, ignisque lucem quae vocatur aeterna, fugiens hunc sanguinem communem: neque ad aliam

aram verti me jussit Apollo. Haec aliquando mihi etiam testari cunctos Argivos jubeo, quomodo mala peracta sint. Ego vagabundus et ex hac terra profugus vivus mortuusque hanc famam reliquero.

Cho. Verum quum recte fecisti, noli malis verbis innectere linguam nec infausta loqui, quum liberaveris totam Argivorum urbem, duorum draconum impigre absciso capite.

Or. Ah ah, famulae, illae Gorgonibus similes, fuscis tunicis: et implicitae frequentibus draconibus: non jam ego manebo.

Cho. Quae te imagines, o qui mortalium patri es carissimus, agitant? retine te neve time, magna victoria reportata.

Or. Non sunt imagines horum malorum mihi: nam aperte hae sunt matris infestae canes.

Cho. Nam recens adhuc tibi sanguis est manibus: ex eo tuae incidit menti turbatio.

Or. Deus Apollo, hae jam redundant, et ex oculis guttas emittunt sanguinis odiosi.

Cho. Erit expiatio: et Apollinem si tetigeris, liberum te his malis reddet.

Or. Vos quidem non videtis eas, sed ego video: agitor, nec amplius ego manebo.

Cho. Verum prospera fortuna utaris, et te adspiciens Deus benevolus servet eventu felici.

Chorus.

Haec ergo tertia jam domui regiae peracta tempestas est ventusque gentilis. Puerorum quidem primum devoratio

fuit gravisque labor Thyestae. Tum viri regis fata, periitque caesus in lavacro Graecorum dux militiae. Nunc vero tertius alicunde venit servator dicam an interitus? Ubi jam eventum, ubi finem habebit sopita vis mali?

ANNOTATIO.

Usus sum editione Canteri, Antverpiae 1580:

Commentario Stanleji, edito a Butlero, Halis Saxonum 1832:

Animadversionibus Abreschii, editis ab eodem, ibidem:

Editione et commentario Schuetzii, Londini 1823:

Editione notisque Wellaueri, Lipsiae 1824:

Editione et notis Blomfieldi, Lipsiae 1824:

Editione Weigelii, Lipsiae 1827:

Editione et commentario Klausenii, Gothae 1835:

Editione et annotatione Dindorfii, Oxonii 1851:

Editione E. A. J. Ahrensii, Parisiis 1852:

Recensione et annotationibus Hermanni, Lipsiae 1852:

Scholiis secundum editionem Dindorfii.

Quae praeterea, vel de libris manuscriptis, vel de aliorum sententiis memoravi, ex horum ea petivi testimoniis. In significanda librorum scriptura plurimum Hermanni testimonio tribuendum censui. Scripturae emendationes, quae vel satis certae vel saltem probabiles mihi visae sunt, ita recepi, ut non semper auctorum nomina addiderim: si qua vero ipse emendare conatus sum, quae non multa

sunt, meas conjecturas eas esse diserte significavi. Librorum nomine intelligo Codicem Mediceum, scriptum seculo decimo vel undecimo, qui praecipuus est scripturae fons: Codicem Guelferbytanum, scriptum seculo quinto decimo, in quo haec quidem Choephorarum fabula ex Mediceo transscripta esse creditur: Codicem Robortelli, quem aut Mediceo perquam similem fuisse, aut ipsum Mediceum fuisse ita statuunt, ut, si ipse Mediceus fuerit, ea, quae Robortellus a Mediceo discrepantia afferat, negligentiae ipsius tribuenda esse videantur: posterius equidem non affirmavero. Ceterum in Mediceo et in Guelferbytano non distinguuntur Agamemnon et Choephorae, verum sunt conjunctae in unam fabulam: primus eas fabulas separavit Robortellus.

1. Personarum nomina et initium tragoediae in libris manuscriptis desunt. Versus quinque primi additi sunt ex Aristophanis Ranis 1126 et 1152: sextum et septimum addidit Stanlejus e scholio Pindari Py. IV 145: octavum et nonum Dindorfius e codice Vaticano 909, ubi ii Aeschylo tribuuntur et in Choephoris positi fuisse dicuntur in scholio ad Eurip. Alc. 785. Vel sic tamen in Choephorarum initio quaedam requiri videntur.

1. *χθόνιε.* De hoc vocabulo totoque loco arguta disputatio est apud Aristophanem. Recte Stanlejus Mercurium appellari eo nomine dicit, quia mortui ei curae erant, afferens etiam 124 et Soph. Aj. 131, ubi Ajax in oratione postrema

καλῶ θ' ἅμα
πομπαῖον Ἑρμῆν χθόνιον εὖ με κοιμίσαι.

Apud Euripidem Chorus Alcestim mortuam prosequens 759:

πρόφρων σε
χθόνιός θ' Ἑρμῆς Ἅιδης τε δέχοιτ'.

1. ἐποπτεύων. Non pro vocativo habendum est, ut sit epitheton Mercurii et cum χθόνιε conjungendum: conjungendum est cum sequentibus: sis servator mihi, curans imperium, quod patris mei fuit mihique debetur. Cf. 489 et 583.

2. Hunc versum et sequentem a Thoma Magistro afferri monuit Abreschius.

4. τῷδε. Dedit Dindorfius e codice Aristophanis pro vulgato τάδε γε.

6. Apud Homerum Achilles crines aluit, daturus promissos Spercheo fluvio post reditum e bello: verum se non rediturum intelligens dat illos Patroclo amico in exsequiis: et reliqui amici Patroclum suis crinibus ornant: Il. Ψ 135 seqq. Hic vero Orestes utrumque perficit, ferens et Inacho terrae patriae fluvio cincinnum, et patris in tumulo nunc ponens eum, quem in exsequiis dare non potuerat. Exemplum Achillis, quod ex Homero dedi, attulit jam Stanlejus, addiditque recte Soph. Aj. 1171.

8. Similiter apud Euripidem queritur famulus, quod Alcestidis exsequias non comitatus sit:

οὐδ' ἐξέτεινα χεῖρ' ἀποιμώζων ἐμὴν
δέσποιναν·

Alc. 785. Quod vero queritur Orestes, se manum in patris exsequiis non extendisse, id Achilles Patroclo tribuit, caput ejus tenens, quum efferretur. Pro ἐκφορᾷ codex, ex quo haec Dindorfius protulit, habet ἐκφορὰν.

12. πρέπουσα. Recte Stanlejus monet, esse vocabu-

lum utriusque significationis, in tristi etiam re pariter atque in laeta ponendum, afferens 18 et 24 et Eurip. Hel. 1204 et Alc. 530.

13. πῆμα. Restituit Hermannus e codice Mediceo, Guelferbytano, editione Robortelli, pro πτῶμα, quod Turnebus dederat.

15. μειλίγματα. Ita Casaubonus et Stanlejus: libri μειλίγμασιν. Recte comparatum est Pers. 610.

18. τίσασθαι μόρον. Hic totum consilium, omnemque, qua Argos et ad patris tumulum venit, cogitationem Orestes aperit: eaeque preces, quas nunc diserte dicit, jam latebant in ipsis primis verbis. Omnino apud Graecos antiquitus sententia fuit, ultionis magnum esse officium, idque pertinere ad amorem, neque ejus eventum abesse ab anima illius, quem quis ulciscatur. Quod quale fuerit, exemplo Achillis apud Homerum Patroclum ulciscentis abunde potest intelligi. Et ipsa vocabula sermonis Graeci fere eadem et vindictam et auxilium significant. Cf. annotatio ad 376.

20. ἐκποδὼν. Stanlejus. Libri ἐκποδῶν vel ἐκ ποδῶν.

22. Misere Chorus lamentatur, renovato dolore perculsus, quum a Clytaemnestra ad libationem Agamemnoni ferendam mittatur: sentit denuo acerrime et grave servitii onus, quod libere loqui vetaret, et impiae dominae superbiam, et venerandi domini interitum. Vs. 32 causam significat hujus libationis, somnium Clytaemnestrae, quo illa e somno excitata cunctas turbaverit: quod somnium quale fuerit, postea Orestae narrat, 523.

23. χοᾶς. Libri χοὰς, idque nonnulli defendunt, accusativum pendere posse credentes a προπομπός. Alii malunt χοᾶν.

23. σὺν κτύπῳ. Mediceus συγκύπτωι. Cf. annotatio ad 492. Guelferbytanus σὺν κύπτῳ. Robortellus συγκόπτω. Scholiasta explicat σὺν κοπετῷ.

24. φοινίοις ἀμυγμοῖς. Mediceus φοίνισσαμυγμοῖς, Guelferbytanus φοίνισσα γωγμοῖς.

26. δ' ἰυγμοῖσι. Libri διοιγμοῖσι. Abreschius voluit αἰαγμοῖσι.

31. πεπληγμένων. Intellige ἡμῶν, nec genitivus pendet a πέπλων, sed est absolutus. Cf. 80 φερομένων.

32. Libri: τορὸς γὰρ φοῖβος ὀρθόθριξ. Turnebus φόβος. Editores plerique τορὸς γὰρ ὀρθόθριξ φόβος, et quidam mutarunt 35 περὶ φόβῳ, ad evitandam incommodam constructionem φόβος ἔλακε περὶ φόβω. Hermannus τορὸς δὲ φοῖτος ὀρθόθριξ. Scholiasta legisse omnino videtur φόβος, ad 35 annotans ἀναλακεῖν — ἐποίησεν ὁ σαφὴς φόβος: et prius, scholio, quod recte separavit Dindorfius, quia in Mediceo interpunctione distinctum est, περισσῶς τῷ φόβῳ: forte τὸ φόβῳ: certe significare videtur, repetitionem vocabuli abundare. Restitui scripturam librorum; quodsi jambicus dimeter postulatur, facilis mutatio erit, ut pro γὰρ scribatur γ' ἄρα. Ipsius Phoebi nomine significatur praesagium ab illo missum per somnium: clamare dicitur, quum Clytaemnestrae propter metum clamorem expresserit. Nec sine magna gravitate jam Chorus illud praesagium tribuit Apollini, qui non solum Orestem ad ultionem impulit, ut apparet 269 et alibi per totam tragoediam, verum etiam 815 gravissimo carmine eventum instantem Chorus ita canit, ut similia alia futura praedicens, hunc quoque eventum ipsi Clytaemnestrae ab Apolline perspicue antea significatum sed ab illa non intellectum respiciat.

35. *μυχόθεν*. Scholiasta explicat: ex intimo pectore Clytaemnestrae: credo potius significari ex angulo domus, e secluso Clytaemnestrae thalamo.

35. *ἔλακε*. Libri *ἔλαχε*, sed in M et G supra adscriptum *κε*. Mox 38 libri *ἔλαχον*.

36. *γυναικείοισιν ἐν δώμασιν*. Scholiasta domum ita appellari existimat propterea quod suo domino careret: tantummodo famularum aedes significari puto, quas e thalamo exortus Clytaemnestrae clamor terrore replevit: cf. 535.

37. *τε*. Vel hoc, vel *δὲ* interseruerunt editores: in libris copula deest.

44. *γαῖα γαῖα*. Libri *γαῖα μαῖα*: scholiasta *ὦ γῆ μήτηρ*.

45. M *μώμεν αμιλλεῖ*, et reliqui libri fere simile.

47. *ἐκβαλεῖν*. Libri *ἐκβάλλειν*. Veretur Chorus perfungi mandato et inanes nec placaturas mortuum voces emittere, nec sanguinem redimi intelligens, et ipso mandato ad renovandum luctum excitatus.

48. *λύτρον*. Libri *λυγρὸν*. Eadem sententia Orestae est 520.

50. *κατασκαφαὶ*. Conf. 964 *χαμαιπετεῖς ἔκεισθ'*.

54. *σέβας*. Pertinent haec ad laudandam ingentem gloriam bellicam Agamemnonis, quae ad populum ipsum redundabat eumque dulcedinis communione commovebat. Cf. 302.

54. *ἀδάμαντον*. Sic libri. Hermannus aliique *ἀδάματον*: fortasse melius. Nec tamen vel sic versus respondet strophico: quapropter etiam ipsum strophicum 42 mutarunt.

56. *φρενός*. M et G *φρένες*.

59. *φοβεῖται δέ τις*. Significatur Clytaemnestra. Timor illam invasit: neque injuria: nam felicitas illa,

qualem nunc ea sibi habere videtur, in mortalibus pro Deo colitur, imo plus quam Deus esse videtur: ideo si quis eam habet nec ea quidquam majus putat, quovis quasi strepitu, velut nunc Clytaemnestra somnio, in timorem conjicitur ne suam felicitatem amittat. Nec justa causa timoris abest, posita in divina justitia: quae causa jam deinceps indicatur.

61. δίκας. Libri δίκαν, sed scholiasta manifesto legit δίκας, quapropter recte emendatum est. Etiam τοῖς μὲν in explicatione mutat scholiasta in τοὺς μὲν, sed tamen e scholio mox addito ἀντὶ (τοῦ) τοὺς μὲν intelligimus, eum legisse dativum. Mox 64 M habet χρονίζοντ' ἄχη, G et codex Robortelli χρονίζοντ' εὔχη. In Is. Vossii codice deerat μένει. Dativus τοῖς μὲν pendet a ταχεῖα: τὰ δ' adverbialiter positum est, et ex eo facile intelligitur objectum verbi μένει, τοὺς δέ: in μένει rursus subjectum ῥοπὴ δίκας intelligitur. Φάος non lucem felicitatis, sed tempus diei, i. e. tempus non serius notat, quum opponatur tempori seriori. Ostendit Poeta, semper maleficiis poenam esse paratam, licet non semper continuo appareat: alios statim, quum flagrat etiam facinus, justitia invadit: alios serius manet, jam magna vitae parte peracta, quasi quum crepusculum venit, tarditasque supplicii gravitate compensatur: alii mortui demum in inferis poenas infinitas inveniunt. Nunquam tamen caedes inulta fore putanda est. Versus 64 metro non convenit versui 53.

65. ἄκραντος. Alii de conjectura ἄκρατος.

66. Hoc versu Hermannus tertiam stropham instituit, et 71 antistropham, epodon 75.

66. M ἔκποθεν, reliqui libri ἐκποθὲν.

68. διαφέρει. Scholiasta διασπαράσσει. Conf. Plaut. Pseud. Act. I sc. III 125 „jam ego te differam verbis meis:" ubi pariter differre cruciandi et vexandi significationem habet. Et in re quidem longe alia, nec tamen significatione diversa, Poenul. A. I sc. I 28 „differor cupidine ejus."

70. Hic versus inconsulto propter vs. 65 repetitus videtur et ejiciendus. Etiam βρύειν ex versu praecedente nonnulli ejiciendum putant: verum hoc ipsum verbum eo magis retinendum videtur, quia tum facilius intelligi potest, librarium repetivisse versum, qui post βρύει 64 secutus fuisset.

71. οἴγοντι. Alii de conjectura θιγόντι.

73. χαιρομυσῆ. Alii de conjectura χερομυσῆ.

74. Libri φόνον καθαίροντες ἰοῦσαν ἄτην. Quod scholiasta ita explicat, ut Attice dici velit καθαίρειν cum duplici accusativo, altero ejus qui purgetur, altero ejus rei, qua quis purgetur: flumina ergo cuncta non purgare caedem calamitate, quae ad illam veniat, i. e. non illam purgare poena. Nec melius video, si scriptura retinenda est. Etiam Il. Π 667 αἷμα κάθηρον Σαρπηδόνα: et Herod. I 43 ὁ καθαρθεὶς τὸν φόνον. Scaliger et Canterus voluerunt λοῦσαν μάτην, Stanlejus ἔλλουσαν μάτην. Et aliae conjecturae sunt a viris doctis propositae. Mihi aliquando conjicienti scribendum videbatur ἰάσαντ' ἄτην, vel, si senario opus erat: φόνον καθαίροντές ποτ' ἰάσαντ' ἄτην: si saltem in ultima voce prior syllaba corripi poterat, quod ex loco Homeri Il. Τ 332 ἀτέοντα efficere non ausim. Nondum mutationem suadeo, quia nullam satis probo. Ceterum sententia haec est: nec violatae pudicitiae muliebris, nec caedis nefariae usquam ullum

reperiri remedium. Altera parte sententiae respici ad Agamemnonis interitum facile intelligitur: altera vero pars ad Paridem et Trojae grave excidium pertinere posse videtur: quarum utramque rem similiter Chorus vindicta praedicanda copulat 935: attamen nunc ad Aegisthi et Clytaemnestrae adulterium respici existimo. Negatio semel posita in *πόροι τε* ex *οὔτι* intelligenda est.

75. Primum *ἀνάγκαν* proponit, tum sententiam abrumpit, causam necessitatis explicans: tum sententiam repetit et *αἰνέσαι* cum *ἀνάγκαν προσήνεγκαν* conjungit: *πρέποντ' ἀρχαῖς βίου* est appositum accusativo *δίκαια καὶ μὴ δίκαια*: necessitatem Dii mihi intulere laudandi justa pariter et injusta, quum ea vitae meae initiis conveniant, quandoquidem jam prima aetate in servitutem abducta sim: hoc enim significat, quum se per patriae oppugnationem jam tum, quum etiam in domo patris esset, ex ea in servitutem abductam esse queratur: constructionis *ἐσᾶγον αἶσαν* pro *ἄγον ἐς αἶσαν* Dindorfius et alia exempla affert, et Eurip. Herc. fur. 850 *μ' εἰσπέμπεις δόμους*. *Βίᾳ φερομένων* potest quidem pendere a vocabulo *βίου*: vitae nostrae, quae per vim agimur: credo tamen potius esse genitivum absolutum, ut tamen subjectum *ἡμῶν* intelligatur. Cf. 31 *πεπληγμένων*. Similiter Thuc. II 83 *ἑώρων αὐτοὺς σφῶν κομιζομένων*: Xenoph. Anab. L. I c. II 17 *θᾶττον προϊόντων δρόμος ἐγένετο τοῖς στρατιώταις*: L. II c. IV 24 *διαβαινόντων μέντοι ὁ Γλοῦς αὐτοῖς ἐπεφάνη*.

Ex amicis meis aliquis mecum colloquens ostendebat, *πρέποντ'* esse posse accusativum absolutum, orationem sic construens: mihi necessitatem Dii intulerunt, quum conveniat principiis meae vitae, justa pariter et injusta laudare.

75. *ἀνάγκαν ἀμφίπτολιν.* Quum patriae oppugnatio significetur, quaeri potest, an fuerit Chorus captivarum Trojanarum. Stanlejus affirmat. Et sane, licet opinioni ei repugnare quodammodo videatur gravissima poenae a Priamidis inventae mentio 935, et egregius Agamemnonis, Orestae, Electrae amor, qui per totam tragoediam spirat: tamen ex Homero satis intelligitur, quam mutaverint captivae cum solo caritatem, si ingentem dolorem videas, quo Patrocli mortem servae flevisse narrantur Il. Σ 28. Quae vero est 54 pristini splendoris amissi querela, ex illo amore et e caedis detestandae indignatione et impiae mulieris odio profluebat. Et vero, quam memorabam poenae Priamidarum mentionem, etiam gravior ea est, si ex mente illarum proficiscitur, quae testes ejus fuerant et per eam servitutem invenerant.

87. *τύμβῳ.* G *τύφῳ δὲ*, M idem, adscripto *οἶμαι τύμβῳ.*

94. *ὡς νόμος κ. τ. λ.* Alii de conjectura minime absurda: *ὡς νόμος βροτοῖς, ἔσθλ' ἀντιδοῦναι.* Verum *ἀντιδοῦναι* dupliciter positum videtur, prius absolute sine casu, par pari referendi significatione, postea vero recipiens accusativum *δόσιν.*

95. *στέφη.* Serta fere cum libatione conjuncta fuisse satis notum est, velut apud Soph. El. 895. Quum tamen Aeschylus 87 appellet *χοάς*, 97 *γάποτον χύσιν*, 104 *γαπότους χοάς*, 109 dicatur *χέουσα*, hoc loco *στέφη* fortasse ipsam tantum libationem significat. Sane verbi *στέφειν* a fundendo non alienam significationem esse apparet ex Homerico *κρητῆρας ἐπεστέψαντο ποτοῖο*, Il. A 470.

95. *τε* Alii de conjectura *γε.*

98. *καθάρματα* sunt quae *λύματα* dicit Homerus,

Il. A 314 εἰς ἅλα λύματ' ἔβαλλον. Scholiasta ad hunc Aeschyli locum dicit, morem fuisse Atheniensibus, ut vasa, quibus in domus lustratione usi essent, retrogradientes in trivia conjicerent.

103. Apparet in hoc sermone Electrae animus. Nam amica famulis, communiter scelera et domesticam pestem exosis, ab illarum amore sibi consilii inopi ut succurratur exoptat. Est haec amore digna dubitatio puellaris, et imperitia rerum aetati et pudori conveniens. Atqui eadem non omnis rei imperita est, verum etiam seniores docet. Quippe jam in regiae virginis animo tristis sors fortitudinis et sapientiae fructum peperit, ut vitae fragilitatem et communem cunctis exitum meminerit, eaque cogitatione in omni consilio pelli timorem. Hac ratione Chorum ad libere dandum consilium incitat: qui quidem, ut vidimus jam 78, servili pressus jugo, non sententiae tantum verum etiam querelae libertatem amiserat. Electrae quidem exstitit πάθει μάθος, ut dicit Poeta, Agam. 177. Nec frustra ejus oratio fuit: neque enim inani formula Chorus utitur, jurans in Agamemnonis tumulo tamquam in ara.

105. ἔχοις. Alii de conjectura ἔχεις.

109. σεμνά. Non καλά dicit vel εὐμενῆ, sed vocabulo utitur, pietatem magis precantis quam aliquem felicitatis eventum significante. Pias preces, ut te ad patrem decet, dicas, quae pro illis sint, qui patri tuo amici sunt.

112. γ' ἄρ'. In libris τ' ἄρ'.

115. κεἰ. Sic G. In M κ εἰ, ut ante rasuram καὶ εἰ fuisse dicat Hermannus. Canterus καί.

117. Conjungo τοῦ φόνου cum μεμνημένη. Poterat

tamen cum αἰτίοις conjungi, ut μεμνημένη in oratione abrupta casu careret: cf. 135 σοῦ φόνου μεταίτιος.

121. Hermannus ἀπλωστί.

122. Denuo Electrae virtus apparet, non timore cujusquam hominis absterritae, quominus pervulgatae jam neque ipsi incognitae sententiae obtemperet, malis mala esse tribuenda: nam illam jam sententiam attigit 93, eumque dixit esse morem hominum: verum Deos veneratur ita, ut dubitet, an illa sententia satis pietati conveniat. Chorus tamen nunc in respondendo illum morem sequitur.

124. κῆρυξ. Hic versus scribebatur post vs. 165: ubi saue frigebat: huc transtulit Hermannus. In versus sequentis initio lacuna erat, quam explevit Dindorfius probabiliter, scribens ἄρηξον: alii ἄκουσον.

124. Mercurius Diique inferi et Terra similiter conjunguntur in invocatione, qua in Persis Darius ex inferis excitatur, 638:

χθόνιοι δαίμονες ἁγνοὶ,
Γῆ τε καὶ Ἑρμῆ, βασιλεῦ τ᾽ ἐνέρων.

127. δωμάτων. Recte a Stanlejo emendatum videtur: libri δ᾽ ὀμμάτων: quod Wellauerus defendit, πατρῷα ὄμματα dicens usitatissime pro patre ipso dici. Quod non credo, et ea significatione ὄμμα singulari numero poni existimo et praesentem a praesente sic appellari: cf. ad 238. Hermannus αἱμάτων. Sunt autem δώματα πατρῷα ea, in quibus nunc Agamemnon habitabat, quippe domus inferorum: aliter initio fabulae πατρῷα κράτη.

130. χέρνιβας. Versu 85 appellavit προστροπὴν, 87 κηδείους χοὰς, 92 πέλανον, 95 στέφη, 97 γάποτον χύσιν, hoc versu χέρνιβας, 163 γαπότους χοάς.

130. *βροτοῖς*. Sic in libris, adscripto in nonnullis *γρ. νεκροῖς*. Emendarunt viri docti *φθιτοῖς*. Quae conjectura minime quidem absurda est, et tamen dubito an necessaria sit. Eadem quidem ratione apud Euripidem *θνητοὶ* dicuntur mortui, Herc. fur. 484:

εἴ τις φθόγγον εἰσακούσεται
θνητῶν παρ' Ἅιδῃ,

ubi pariter pro *θνητῶν* scribendum putarunt *φθιτῶν*. Et tamen Chorus in Persis de Dario jam mortuo et in inferis habitante:

μόνος ἂν θνητῶν πέρας εἴποι.

Si igitur mortui appellantur *θνητοὶ*, cur non etiam *βροτοί*?

132. *ἀνάξομεν*. Scholiasta *βασιλεύσομεν*, idque sequor cf. 237 *δῶμ' ἀνακτήσει πατρός*. Dindorfius mavult esse a verbo *ἀνάγειν*. Tamen quum Electra deinceps et suam sortem servilem et Orestae fugam deploret et inopiam, congruum est, illam optare, ut imperium domus sibi fratrique restituatur. Blomfieldus suasit *πως ἄναξον εἰς δόμους*.

133. *πεπραμένοι*. Libri *πεπραγμένοι*, scholiasta *νενικημένοι, κατηγωνισμένοι*. Confert Stanlejus Pers. 517

οἳ 'γὼ τάλαινα διαπεπραγμένου στρατοῦ.

Tamen reliqua oratio h. l. emendationi favet, quum ipsum adverbium *πως*, additum verbo *ἀλώμεθα*, maxime venditis convenienti, figurato sermoni sit accommodatum. Cf. 915.

137. *φεύγων*. Libri *φεύγειν*.

138. *μέγα*. Libri *μέτα*, unus *μετα*. Klausenius retinet *μέτα*, explicans: luxuriant postea, postquam tibi ea eripuerunt.

144. *σου*. Nonnulli malunt *σ' ὦ*. Scholiasta: *τοῖς δὲ ἐχθροῖς σου λέγω σε φανῆναι τιμωρόν*. Unde tamen non

efficitur, illum legisse σε, nam hoc addidit fortasse explicandi causa.

145. ἀντικατθανεῖν. Scholiasta γρ. ἀντικατακτανεῖν. Hermannus ἀντικακτανεῖν δίκῃ, secundum Scaligerum.

146. κακῆς. Dindorfius scripsit ἐμῆς, scripturam κακῆς suspectam habens propter repetitionem: alius καλῆς. Mihi ea repetitio gravitatem habere videtur, attendenti etiam Electram, primum quidem dubitantem nec statim ad mala adversariis imprecanda paratam, postea vero quam suscepit, fortiter peragentem. Ceterum genitivus τῆς κακῆς ἀρᾶς non pendet a μέσῳ, sed a ταῦτα. Ἐν μέσῳ τιθέναι simpliciter est proponere, proferre: velut Herodotus IV 97 γνώμην ἐς μέσον φέρω: Lucianus de conscrib. hist. 60 μῦθος ἐν μέσω θετέος.

152. παιᾶνα. Scholiasta: ὅτι ἐπὶ ἀποθανόντος παιᾶνα εἶπεν κακῶς, et affert Euripidem Alc. 424

παιᾶνα τῷ κάτωθεν ἀσπόνδῳ θεῷ.

Illud κακῶς non ad vituperandum Aeschylum pertinere existimo, sed ad tristem hoc loco vocabuli παιάν significationem, quippe in appellando mortuo positi. Stanlejus affert etiam Soph. Oed. Tyr. 5

ὁμοῦ δὲ παιάνων τε καὶ στεναγμάτων.

155. ἔρυμα. Glossema additur τὸν τάφον. Fortasse ignobiliore vocabulo usus est ad significandum tumulum non satis Agamemnonis dignitati convenientem: cf. 433 et 440. Quae tamen explicatio quodammodo quaesita videri potest. Credo potius, ἔρυμα quum proprie de vallo diceretur, translatum esse ad sepulcrum etiam, utpote similiter exstructum et ex lapidibus factum.

156. ἄγος. Libri ἄλγος. Verum scholiasta habet lemma ἄγος ἀπεύχετον, et explicationem: τὸ δάκρυ γὰρ

ἀπευκτὸν ἄγος εἶπεν· ἀπότροπον τῶν ἡμετέρων κακῶν καὶ τῶν ἀγαθῶν τῶν ἐχθρῶν. Non ergo dubitavi recipere ἄγος: forte tamen melius Hermannus ἅγος. Πρὸς ἔρυμα conjungo cum κεχυμένων, non cum ἴετε: appellat χοὰς κακὰς, quia proveniebant a Clytaemnestra, quae Agamemnonem interfecerat: easdem vero κεδνὰς, quia illa tamen conjux fuerat et nunc caritatem significare volebat: cf. ad 234: quam vero haec caritatis simulatio sibi displiceat, ut κεδνῶν quasi acerbam laudem et damnationi similem habeat, significat interposita sententia ἀπότροπον ἄγος ἀπεύχετον: qui nominativus additur ad κεχυμένων χοᾶν, quasi dicat, ὅ ἐστιν ἀπότροπον ἄγος ἀπεύχετον. Cf. ad 200. Erat de Clytaemnestrae sententia expiatio ad mala averruncanda, ut 43: sed Chorus hanc expiationem abominatur. Aliis alia placent, et sunt etiam qui conjecturas proposuerint: velut κεδνῶν κακῶν τ'. Sed nihil inveni, quod mihi melius adhuc videretur quam id quod proposui. Alia antea explicatio mihi proponenda videbatur, nunc vero ei, quam dedi, posthabenda: ut κακῶν conjungeretur cum ἔρυμα, κεδνῶν cum ἄγος, essetque ἄγος non expiatio sed piaculum, et ἔρυμα κακῶν appellaretur tumulus Agamemnonis, quasi malorum propugnaculum, quum ex eo defensionem aerumnarum Chorus exspectaret: idem vero piaculum, non averruncans, sed averruncandum, et abominandum amicis, propter caedis nefariae memoriam.

157. κλύε δέ μοι. Homerus Od. Δ 767

θεὰ δέ οἱ ἔκλυεν ἀρῆς.

Qui dativus si more Homerico potius ita cum ἀρῆς conjungendus cuipiam videatur, ut vix a genitivo differat, tamen exstat Iliad. Ω 335

καί τ' ἔκλυες, ᾧ κ' ἐθέλῃσθα.

Alii *μοι* conjungunt cum *σέβας*, ut apud Eurip. Iph. in Aul. 633

ὦ σέβας ἐμοὶ μέγιστον Ἀγαμέμνων ἄναξ.

158. *ἐξ ἀμαυρᾶς φρενὸς.* Brevior coustructio, in qua intelligitur *εὐχομένῃ*, ex verbo *κλύειν*. Recte Stanlejus comparat Agam. 546

ὡς πόλλ' ἀμαυρᾶς ἐκ φρενός μ' ἀναστένειν.

Scholiasta dubitat, sed etiam ad Agamemnonem hoc pertinere posse existimat, annotans *ὅτι σκιὰ οἱ νεκροί.*

159. *ἴοι τις.* Ita edidi de mea conjectura. Libri *ἰώ· τίς.* Dindorfius mutavit *ἴτω.*

161. *Σκυθικά τ' ἐν.* Ita recte Dindorfius secundum Robortellum Vulgo *Σκύθης τά τ' ἐν*, ut est in G. M *Σκυθιτά τ' ἐν*, scripto supra *-ιτά κα* vel *ης.*

162. *παλίντον' ἐν ἔργῳ βέλη.* Fere *παλίντονα* de arcu dicitur, velut apud Sophoclem Trach. 511 *παλίντονα τόξα*, et alibi: exempla vide apud Blomfieldum. Hoc loco aut ad tela transfertur id, quod erat de arcu dicendum, aut, quod malo, ipsa tela dicuntur torquendo retrahi a missuro. *Ἔργον* de proelio ipso dicitur. Ceterum in hac exaggerata bellicosi fortisque defensoris descriptione non negaveris, nonnulla prodigiosae orationis apparere vestigia, quam apud Aristophanem Euripides in Aeschylo reprehendit in Ranis, velut 924

ῥήματα βόεια,
ὀφρῦς ἔχοντα καὶ λόφους,

et 939

τὴν τέχνην
οἰδοῦσαν ὑπὸ κομπασμάτων καὶ ῥημάτων ἐπαχθῶν.

164. *ξίφη.* Recte emendatum pro librorum scriptura

βέλη, quae facili errore e 162 repetita fuerit: scholiasta in explicatione vocabuli αὐτόκωπα ponit ξίφη, et diserte ab his distinguit βέλη. Cum vocabulo αὐτόκωπα recte compararunt Agam. 137 αὐτότοκον, i. e. cum ipso foetu. Simile est apud Aristophanem, Ran. 902

τὸν δ' ἀνασπῶντ' αὐτοπρέμνοις
τοῖς λόγοισιν ἐμπεσόντα.

Et notum est, frequentem esse extra compositionem eum usum vocabuli αὐτός: velut Hom. Il. Θ 290

ἵππους αὐτοῖσιν ὄχεσφιν:

Eurip. Med. 165

ὅν ποτ' ἐγὼ νύμφαν τ' εἰσίδοιμ'
αὐτοῖς μελάθροις διακναιομένους:

Lucian. Contempl. 6 τὸν Παρνασὸν αὐτῇ Κασταλίᾳ μετεκινήσαμεν.

172. πλὴν ἐμοῦ. Ingeniose aliquis conjecit scribendum esse πλὴν ἑνὸς, verum ea mutatio non videtur necessaria. Ἐμοῦ existimo esse pronomen possessivum, et orationem non plene ab Electra continuo esse dictam, quomodo etiam 174: intellexit quidem πλὴν ἐμοῦ ἀδελφοῦ.

172. κείραιτο. Libri κείρετο.

173. ἐχθροὶ. Non satis intellecta Electrae oratione, vel potius non satis intellecta ejus mente, quam oratio nondum plene expresserat, Chorus Clytaemnestram decere quidem maxime significat lugere tumulum et crine ornare, verum vix credibile esse, illam hoc officio fungi voluisse, quum esset infesta.

176. αὐτοῖσιν ἡμῖν. Ita recte libri: alii mutarunt αὐταῖσιν ἡμῶν. Similiter Cicero, Tusc. L. I c. 2 „quae tam excellens in omni genere virtus in ullis fuit, ut sit cum majoribus nostris comparanda?"

180. *χαίτην.* Libri *καὶ τὴν.*

180. *πατρός.* Ita libri. Editores plerique *πατρί.* Sed recte Wellauerus tuetur librorum scripturam, conferens Soph. El. 84 *πατρὸς χέοντες λουτρά*, et Eurip. Orest. 123 *ἄπαυθ' ὑπισχνοῦ νερτέρων δωρήματα.* Ceterum attende orationis varietatem et copiam: nam quae hoc versu appellatur *κουρίμη χαίτη*, vs. 168 dicitur *τομαῖος βόστρυχος*, 172 *θρίξ*, 175 *ἔθειραι*, 187 *πλόκαμος*, 188 *φόβη*, 197 *πλόκος*, 226 *κουρὰ τριχός*, 227 *κάρα*, 230 *τομή.* Cf. ad *χέρνιβας* 130.

181. *αὖ δακρυτά.* Libri *εὐδάκρυτα.* Mutationem antea rejiciebam: nam *εὐδάκρυτα* h. l. non ad tristitiae decus significandum pertinere putabam, verum ad rem lacrymis bene dignam, non tam propter dolorem quam propter vehementem animi motum. In sequente versu *εἰ* pro *ἢ εἰ* post comparativum positum credebam: cujus tamen constructionis aliud simile exemplum non succurrebat. Dicere Chorus mihi videbatur, non sibi temperans, praesentem animi motum, quamquam is cum spe magis, et tamen incerta, quam cum luctu conjunctus esse deberet, non minorem esse quam si mortem Orestae comperiret: Electra vero, quamquam et ipsa vehementer commota, tamen temperantiore oratione mox uti, nec talem adhibere comparationem. Quamquam Chorus Orestem amabat, tamen intelligere licere, alium quendam esse sororis animum. Tamen ab hac explicatione recessi, et melius mihi videtur Klausenius locum intellexisse, hoc modo: non minus haec mihi tristia sunt quam ea quae antea lugebam: si nempe Orestes, missis his crinibus, se de reditu desperare ostendit: nam nisi desperaret, donationem eam ad adventum suum distulisset. Etenim etiam Electra,

roganti Choro, quomodo Orestes venire ausus fuisset, eum non venisse, sed misisse crines responderat: postea tamen aliquam capit spem meliorem, 194, 203. In hac autem explicatione illa mutatio αὖ mihi valde probabilis videtur.

183. προσέστη. Sic M: in G est πρόσεστι.

184. ἐπαίσθην. Libri ἐπαίθην. In lemmate scholii Robortelliani est ἐπώσθην.

184. διανταίῳ βέλει. Cf. Sept. c. Th. 894 διανταίαν πλαγάν.

185. δίψιοι. Comparatio est imbris post diuturnam siccitatem prorumpentis: δίψιοι σταγόνες πίπτουσι, per sitim guttae cadunt, quomodo a sitiente terra guttarum copia absorbetur: sitis ab excipiente transfertur ad guttas quae excipiuntur.

186. ἄφρακτοι. Ita libri. Significatur non cohibita vis aquae. Alii ἄφραστοι, Dindorfiue ἄφαρκτοι.

190. γε. Libri δὲ.

192. ἐγὼ δ' ὅπως. Sunt qui mutandum putent ἐγὼ δὲ πῶς, ut in interrogatione: sed post Ὀρέστου oratio videtur abrupta, intellecto οὐκ ἔχω, vel simili dubitatione.

195. ἔμφρον'. Libri εὔφρον'. Recte emendatum videtur. Quippe quum velit aut rejicere ut hostilem, aut ut cognatum adsciscere, in prioris rei nuntiatione non poterat esse benevolentia: ipsa addita ἀγγέλου δίκην ostendunt, tantum perspicuitatem comperiendi quaeri, non benevolentiam. Ἔμφρων et εὔφρων etiam in libris confunduntur Pind. Ol. IV 21, Ol. VII 116, Ol. IX 113.

196. κινυσσόμην. Libri κηνυσσόμην.

197. ἀλλ' εὖ σάφ' ἦν ἡ. Ita optime Wellauerus ex librorum scriptura, quae est ἀλλ' εὖ σαφηνῆ. Alii aliter mutandam putarunt.

197. ἀποπτύσαι. In M plerique dicunt esse ἀποπρίσαι, sed Hermannus dicit, ibi ita scriptum esse ἀποπτύσαι, ut etiam ἀποπρύσαι legi possit. Robortellus ἀποπτύξαι.

200. ἄγαλμα. Continet hic versus appositionem praecedentis infinitivi συμπενθεῖν: lugere mecum posset, qui luctus foret ornamentum tumuli et patris honor. Similis constructio est 155, et apud Homerum, Il. Ω 735

ῥίψει χειρὸς ἑλὼν ἀπὸ πύργου, λυγρὸν ὄλεθρον.

202. δίκην. Libri habent dativum, quem agnoscit scholiasta.

205. In hoc vestigiorum indicio, quod sibi Electra proponit, attendendum est, id quod alii recte monuerunt, fuisse alioqui Agamemnonis tumulum desertum: ut sponte in suspicionem Orestae illa venire debuerit.

206. Libri ποδῶν δ'.

206. ὅμοιοι. Iterum attende, ut ad 180 monuimus, poëticae Aeschyli orationis copiam et varietatem: similitudinem exprimunt vocabula et locutiones: 174 ἰδεῖν ὁμόπτερος, 176 προσφερὴς ἰδεῖν, 179 προσείδεται, 206 ὅμοιοι, ἐμφερεῖς, 210 εἰς ταὐτὸ συμβαίνουσι, 227 ξύμμετρος.

211. Hunc quoque versum si cum 183 et 184 compares, idem comperies, quod modo monebam. Ceterum ὠδίς de dolore animi vehementiore etiam dicitur ab Euripide, Hippol. 257

τὸ δ' ὑπὲρ δισσῶν μίαν ὠδίνειν
ψυχὰν χαλεπὸν βάρος.

Quem locum expressit Cicero de am. XXIII 45 „si tamquam parturiat unus pro pluribus."

212. τελεσφόρους εὐχάς. Idem apud Euripidem est Phoen. 69.

215. *ἐξηύχου*. Sic R. M et G *ἐξηύκου*.

217. *ἐκπαγλουμένην*. Sic R. M et G *ἐκπαγλουμένης*.

221. Libri *κατ' αὐτοῦ ταρραμηχανοραφῶ*, vel simile.

222. Libri *ἐμοῖσιν*.

224. In libris *τάδ' ἐγώ σε προὐννέπω*, vel simile. Quod retinuerunt alii, mutantes tamen *τάδ'* in *ταῦτ'*. Verum recte monuit Hermannus, significationem verbi *προὐννέπω*, quae est edicendi vel jubendi, ab hoc loco alienam esse. Cf. Agam. 162 *τοῦτό νιν προσεννέπω*.

225. *μὲν οὖν*. Emendatum pro librorum scriptura *μὲν νῦν*: in G tamen *οὖν* a librario factum ex *νῦν*. Alia emendatio est *με νῦν*.

226. Hunc et quatuor sequentes versus eo ordine dedi, qui est in M et G et vetustis editionibus. Robortellus tamen versum *ἀνεπτερώθης* habet post versum *σαυτῆς ἀδελφοῦ*. Postea ordo mutatus est: Dindorfius, secutus Heathium, habet: *κουρὰν* — *ἰχνοσκοποῦσα* — *ἀνεπτερώθης* — *σκέψαι* — *σαυτῆς*. Atque alius aliter. Si ab antiquo ordine recedam, sequar Dindorfium potissimum, sed recedendi non est visa causa idonea. Ceterum Dindorfius pro *ξυμμέτρου* edidit *ξύμμετρον*: de qua mutatione non tantum nihil monuit, sed in annotatione etiam habet *ξυμμέτρου*. Etiam scholiasta legit genitivum.

229. Duas res nunc ostendit Orestes: esse suos crines ita similes illi cincinno, quem in tumulo Electra repererat, ut ei persuadeat a suo capite esse caesum: tum vero esse suos crines cognatione similes sororis crinibus.

230. *σκέψαι τομῇ*. M et G *σκέψαιτο μή*.

231. *ἰδοῦ*. Libri *ἰδού*.

232. *θήρειον*. Libri *θηρίον*, Turnebus *θηρίων*, eumque secuti sunt editores plerique. Pro *εἰς δὲ* Dindorfius,

secutus Turnebum, edidit ἠδὲ. Verum illud retineo, nec ad ἰδοῦ, sed ad ἔργον pertinere existimo, eo modo, quem in interpretatione ostendi. Ceterum scholiasta monet, non ostendere Orestem id pallium, quo nunc indutus esset, sed aliud, quod ex pueritia servatum secum adduxerit: neque id improbo.

233. ἔνδον γενοῦ. Xenoph. Anab. L. I c. IV 17 ὁ Κλέαρχος ἐν ἑαυτῷ ἐγένετο.

233. μὴ 'κπλαγῇς. In M μὴκπλαγιῇ, et in reliquis etiam libris corrupta scriptura.

234. τοὺς φιλτάτους. Proximos cognatione sane potius quam caritate. Verumtamen similiter Clytaemnestra, Eumen. 100:

παθοῦσα δ' οὕτω δεινὰ πρὸς τῶν φιλτάτων.

Et Choe. 616 Scylla salute spoliat patrem, φῶτα φίλον.

238. ὄμμα. Valckenarius ad Eurip. Phoen. 415 suadet ut scribatur ὄνομα: nec sine causa, quum Electra deinceps patrisque et matris et sororis et fratris illum nomen et amorem sibi implere dicat. Verumtamen librorum scriptura mihi praestare videtur illi conjecturae. Quippe compellans oculum egregie significat singularem adspiciendi laetitiam. Conf. Eurip. Phoen. 312 χρόνῳ σὸν ὄμμα προσεῖδον. Soph. Aj. 1003 ὦ δυσθέατον ὄμμα. Ibidem vero 977 ὄμμα ita positum videtur, ut Latini caput dicere solent: nam Ajacis corpus Teucer tum non adspexisse videtur, certe illud adhuc erat opertum. Ceterum ad sententiam Electrae conf. Hom. Il. Z 429

Ἕκτορ, ἀτὰρ σύ μοί ἐσσι πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ
ἠδὲ κασίγνητος, σὺ δέ μοι θαλερὸς παρακοίτης.

244. μόνον. Libri μόνος. Quod nonnulli retinent, et cum ἐμοὶ σέβας φέρων conjungunt, scribentes porro Κράτος

δέ. Conf. tamen Soph. Philoct. 1028 *μόνον θεοὶ σώζοιεν*, et Eurip. Iph. in Taur. 1044 *σῶζου μόνον*: quae loca contulit Abreschius.

245. *μοι.* Stanlejus suadet *σοι*, propter 237.

247. *εὔνιν.* Emendavit Turnebus: in M et G *νιν*, confusa etiam distinctione verborum: apud R *νῦν*.

251. *θήραν πατρῴαν.* In M *θῆρα πατρῶα*, nec valde dissimile in G. Scholiasta habet accusativos. Blomfieldus non incommode suadet *πατρῴοις*.

252. *λέγω.* In M et G *ἐγὼ*.

254. *ἄμφω.* Electra quidem non meliorem exsilio sortem habebat.

255. Similiter apud Homerum Chryses sacerdos in precibus Apollinem commovet commemoratione hostiarum, quas ei immolasset: Il. A 40.

257. *ὁμοίας χειρὸς.* Aeque larga manus significatur. Cf. Pind. Ol. VII 1 *ἀφνειᾶς ἀπὸ χειρός*.

257. *εὔθοινον.* Agnoscitur etiam *εὔθυνον* in M et a scholiasta.

258. Pertinere haec de aquila et de signis comparatio eo videtur, ut, quomodo aquilae prole exstincta, regiae avium et Jovi ministrantis, quasi exstincta foret fides ominum, sic prole regis ejusdemque in primis cultoris Jovis perdita periret causa cultus et adorationis.

261. *βωμοῖς ἀρήξει.* Comparat Stanlejus Sept. c. Th. 14

πόλει τ' ἀρήγειν καὶ θεῶν ἐγχωρίων
βωμοῖσι, τιμὰς μὴ 'ξαλειφθῆναι ποτέ.

Verum ibi id auxilium non in donis ferendis consistit, velut h. l., sed in arcendo interitu, quem hostes minabantur.

262. ἀπὸ σμικροῦ. Ahrensius vertit: ex parva re. Praestat referre ad δόμον.

262. δ' ἂν ἄρειας. Ita Turnebus. Libri δαναρίας: nec raro in M est ι pro ει.

264. Timoris alicujus non expers est Chorus: cf. ad 103. Verum eum timorem contemnit Orestes, respondens, se esse fretum Apolline.

266. γλώσσης χάριν. Linguam non compescens.

272. ὑφ' ἧπαρ. Comparat Blomfieldus Agam. 792, Soph. Ant. 1315 et alia.

273. τοῦ πατρὸς τοὺς αἰτίους. Brevius pro τοῦ φόνου τοῦ πατρὸς τοὺς αἰτίους.

275. Haec non ita cum superioribus cohaerent, ut pertineant ad modum, quo Apollo Orestem supplicium de reis sumere jussisset: verum significatur, quo animo esset Orestes, quum illa jussa acciperet: jussit me, quum furerem propterea quod me spoliatione bonorum multassent, illos interficere.

278. δύσφρονες sunt Deae Erinnyes, quae mox ipso nomine memorantur: earum μειλίγματα ἐκ γῆς sunt infertilitates, quibus vindicentur piacula gravia regisque caedes inulta: neque opus est ut mutetur scriptura, quod nonnulli voluerunt, et legatur μηνίματα: quippe sunt μειλίγματα eae poenae, quibus quum mortales afficiuntur, illae Deae placantur et gaudent: cf. Eumen. 107. Aliam explicationem mihi proposuit aliquis ex amicis meis, ut τὰ ἐκ γῆς essent proventus terrae: eum fore oblectamentum hostium: hos enim significari δύσφρονας: ergo fore bello regionis vastationem, hostes rapiendis terrae fructibus oblectatum iri.

279. τὰς δὲ νῷν. Hermannus τὰς δ' αἰνῶν.

280. *ἀγρίαις γνάθοις.* Confert Stanlejus Prom. 368.

281. *φύσιν.* Significatur corpus et ejus habitus: cf. Eurip. Or. 126.

282. *λευκάς.* Duplicem explicationem proponit scholiasta, aut ut calamitas maneat ad senectutem, aut ut ante senectutem jam morbus canitiem efficiat: posterius verum est.

283. *ἄλλας τε φωνεῖ.* Sic libri, quantum scio. Alii *ἄλλας τ' ἐφώνει.*

285. *ὁρῶντα.* Difficiliorem hic versus explicationem habet. Minime absurde Dindorfius eum, id quod jam Blomfieldus suspicatus fuerat faciendum esse, transposuit post versum *καὶ λύσσα.* Verum Blomfieldus tamen ordinem retinuit, et ab *ὁρῶντα* pendere existimat accusativum *προσβολάς*, conferens Eumen. 104. Cf. etiam Choë. 1061. Idem proposuit ut legatur *λαμπρόν μ'.* Verum pronomine non opus esse credo, et orationem copulandam esse cum participio vs. 277, *τίσειν μ' ἔχοντα*: ergo *ὁρῶντα* pertinere ad Orestem. *Λαμπρὸν* adverbialiter positum est. Objectum vero verbi *ὁρῶντα* est *πατέρα*, e tota oratione, maxime vero ex 273 *τοῦ πατρὸς* et ex 284 *πατρῴων αἱμάτων* facile intelligendum. Ad hoc autem *πατέρα* pertinet *νωμῶντ' ὀφρύν*, quibus verbis ira patris significatur vultu expressa.

287. Stanlejus, si eum recte intelligo, conjungit *πεπτωκότων* cum *ἐνερτέρων*, *ἐκ προστροπαίων* ita cum *πεπτωκότων*, ut significetur *ὑπὸ προστροπαίων*, inferorum, qui manu scelestorum ceciderunt: tandem *ἐν γένει* cum *προστροπαίων*, i. e. *προστροπαίων συγγενῶν.* Οἱ *ἐν γένει* recte ab eo explicantur *συγγενεῖς*, conferente Soph. Oed. Tyr. 1016, et Eurip. Alc. 925. Et *προστρόπαιος* quidem

saepissime significat sceleratum, ut apud Eurip. Herc. fur. 1133 et 1230: verum etiam passive significatur is, cujus morte piaculum conceptum sit: quomodo apud Euripidem in Jone 1259 Chorus Creusae suadet, ut in ara consideat: sic enim interfectoribus sanguinem ejus fore προστρόπαιον. Ergo vocabulo προστροπαίων appositum existimo ἐν γένει, eidemque πεπτωκότων: prius universe significavit τῶν ἐνερτέρων βέλος, tum addidit, illud telum mitti vel proficisci ab iis consanguineis, qui ceciderint, quorum morte piaculum conceptum sit: i. e. ab Agamemnone. Numerus pluralis similiter ponitur 53, δεσποτῶν θανάτοισι. Etiam scholiasta docet, significari Agamemnonem, sed rationem non idoneam adjungit, significare existimans hanc vocem eum, qui a Diis ultionem supplex rogaret: saepe quidem supplicis notione ponitur προστρόπαιος, sed ea ab hoc loco aliena est.

289. διώκεται. Ita R et Turnebus: M et G διώκεσθαι. Blomfieldus putat passive positum esse: quod contra videtur. Exemplum activae significationis attulit Hermannus ex Homero, Od. Σ 8

ὅς ῥ' ἐλθὼν 'Οδυσῆα διώκετο οἷο δόμοιο.

291. κρατῆρος. Libri κρατερὸς.

292. λιβὸς. Libri λίβος. Mavult Abreschius λίβους, sed recte contulit Hermannus accusativum λίβα, ex Aeschyli fragm. 56 et 70, apud Dindorfium 52 et 68. Et tamen accusativus pluralis λίβη vs. 448 conveniret genitivo singulari λίβους.

294. Particula δ' post δέχεσθαι in libris scriptis praetermissa est In verbo δέχεσθαι negatio supplenda est e negatione sequente verbi συλλύειν: similiter apud Aristophanem, Av. 694

γῆ δ' οὐδ' ἀὴρ οὐδ' οὐρανὸς ἦν:

et apud Pindarum, Py. X 64

νόσοι δ' οὔτε γῆρας.

Συλλύειν recte videtur Blomfieldus interpretari: operam praestare in scelere expiando. Quippe hoc verbum universam significationem habet componendi, dirimendi, velut Soph. Aj. 1317, ubi opponitur verbo ξυνάπτειν, quod significat in proelium conjicere: Herod. L. I c. 18 πόλεμον συνάπτειν. Illa autem verbi συλλύειν significatio si ad eam rem, de qua hic agitur, transfertur, reconciliatio ponenda est in expiatione, quae est reconciliatio cum patre Diisque iratis.

298. ἔστ' ἐργαστέον. Ita libri, vel simile. Alii secundum Turnebum ἐξεργαστέον.

299. συμπίτνουσιν. Libri συμπίπτουσιν.

301. πρὸς πιέζει. Libri προσπιέζει.

302. πολίτας. Scholiasta Argivos significari existimat. Mihi vero Orestes ipse et Electra significari aliquando videbantur: quos quum Trojae eversores appellaret, gentilem illam laudem esse et paternam gloriam ad prolem generosam pertinere arbitraretur. Verum scholiastae explicationem nunc veriorem existimo: nempe bonis suis paternis recuperandis, in quibus inimici cum superbia luxuriabantur, simul imperium illis eripiendo recuperaturus erat, pristinumque splendorem regium instauraturus, quo populus antea gavisus nunc carebat. Vide 54—58, 135—137.

303. εὐδόξῳ. Sic libri. Editio Robortelli ἀδόξῳ.

305. εἰ δὲ μή. Perquam ingeniose et fortasse vere aliquis legendum putat εἰ δ' ἐμή. In Rhein. Mus. Neue F. X III p. 461.

305. *εἴσεται.* Hermannus dicit esse passivae significationis: quod non credo, sed intelligi Aegisthum: idem dubitat, an sit scribendum *εἴσομαι.* Abreschius vult *εἴσεαι*, ut Orestes Chorum alloquatur.

305. Respiciamus hoc loco orationem Orestae. In exordio fabulae continuo totum propositum exponit, se fore patris necati ultorem. Quantum autem patris ulciscendi officium ei videri debuerit, monuimus ad 18: verum ea ultio erat necessario cum vindicta sui, sororis, patriae, conjuncta. Itaque mox, postquam Electram appellavit, cum illa quasi submisso animo et supplice Jovem precatur, ut orbis pii patris liberis auxilietur domumque restituat: 246—263. Postea fortior ejus oratio exsistit et audacior. Quippe Chorus silentium et cautionem suadet, ne quis consilia ejus ad dominos perferat: qua ille voce stimulatur potius quam cohibetur, conscius consilii sui et certissimo Dei imperio fretus auxilioque, suam vero sortem indignatus et interfectores illos et dominos contemnens. Quanta divini auxilii veneratio in precibus apparuit, tanta jam hostium, quos quidem vehementer odit Chorus et tamen quodammodo timet, contemtio in Oreste est. Hoc est illud Horatii: Dis te minorem quod geris imperas. Ipsa vero inopia et bonorum spoliatio ita eum ad vindictam impellit, ut nihil in eo sit aut non dignum proposito, aut Deorum auxilio non conveniens, aut patris amissi luctum obscurans. Quid enim? Jam primo carmine Chorus domum afflictam et pristini splendoris flevit interitum: jam Electra libans inferias suam servitutem et Orestae inopiam et exsilium deploravit, in bonis illius luxuriari interfectores indigne ferens: si maleficium, quod vindicandum erat, respicias, fuit

caedes Agamemnonis cum Orestae expulsione conjuncta, et sic demum frui sibi videbantur malefici illa quasi divina felicitate: si vindictam respicias justitiamque, fuit et poena sceleratis infligenda, et domus restituenda, et ad Orestem divitiae referendae, quae fuerant ereptae cum scelere. Sic ergo ille continuo Jovem, ne pii patris sobolem afflictam interire sinat, precatus, deinceps exposito rei perficiendae consilio et spe in Diis reposita, ultionem patris cum suorum recuperatione bonorum recte conjungit.

Atque ipsa de bonorum possessione sententia simplex est nec abhorret a poesis dignitate nec ab argumenti tragoediae gravitate. Homerus quam excellit splendore divitiarum laudando? Quid Alcinoi regia vel magnificentius vel suavius? Quae eximia est ibi cum opulentia honoris regii vereque popularis copulatio? Quae pia sacrorum, quae Diis large fierent, et hospitalitatis opisque extorri ferendae conjunctio? Odyss. L. VII & VIII. Et apud Pindarum:

ὁ μὰν πλοῦτος ἀρεταῖς.
δεδαιδαλμένος
φέρει τῶν τε καὶ τῶν
καιρὸν,
ἀστὴρ ἀρίζαλος, ἐτήτυμον
ἀνδρὶ φέγγος.

„Profecto divitiae ornatae laudibus ferunt multarum rerum copiam, suntque sidus splendidum, verum viro lumen." Olymp. II 96. Haud dissimilis Orestae apud Aeschylum ratio est. Possidere eum sua bona oportebat regio titulo, cujus decus pristinum populi mentes penetrare solebat, 54: pios ipse usus memorat in precibus, quum pater

sacra Jovi larga fecisset, postea defutura, si progeniem pii patris Jupiter perderet, 255: et vero memor laudis paternae ingentisque Troja eversa partae gloriae nec ferre suam inopiam potest, nec populum suum servire indignis, mox quanto plus fortitudine valeat ostensurus. Sic cum justo vindictae studio amor patriae conjunctus est: ideo quoque ut patriae redeat fiducia precatur 397: et postea, ad perficiendum propius jam accedens, in votis faciendis patriam simul cum patris tumulo invocat, 540: ac tandem, perfecta re, eum Chorus patriae liberatorem appellat, 1046.

306. Chori notam M et G non habent. Atque in tota hac parte, quae pertinet ad 478, personarum divisio e libris haudquaquam satis apparet; raro personae nomen apponitur: lineolae aliquoties in M ponuntur ad distinctionem significandam, eaeque ipsae saepe desiderantur. Id quod in aliis quoque partibus hujus tragoediae fit. Velut in M 167—182 lineolae singulis versibus praepositae sunt: in G et editione Aldina personarum vices inversae. Contra in M etiam lineola interdum ponitur, ubi nulla ferri distinctio potest: velut 716, ubi manifesto Clytaemnestrae oratio continuatur. Plurima vel confusionis vel obscurationis exempla comperiet is, qui singula persecutus fuerit. Quapropter editori et lectori relinquitur, ut personarum vices constituat arbitratu suo.

Stropharum partitionem proposuit Hermannus: quam non recepi, sed tamen eam hoc loco apponam:

Systema I:

str. α′ 315—322 Or.
str. β′ 323—331 Hemich A.
ant. α′ 332—339 El.

str. γ' 340—344 Dux Hemich. A.

str. δ' 345—353 Or.

ant. β' 354—362 Hemich. A.

ant. δ' 363—371 El.

mesodos 372—379 Chorus.

str. ε' 380—384 El.

str. ς' 385—393 Hemich. B.

ant. ε' 394—399 Or.

ant. γ' 400—404 Dux Hemich. B.

str. ζ' 405—409 El.

ant. ς' 410—417 Hemich. B.

ant. ζ' 418—422 Or.

Systema II:

str. η' 423—433 Hemich. A.

str. θ' 434—438 Or.

ant. θ' 439—443 El.

ant. η' 444—455 Hemich. B.

Systema III:

str. ι' 456—460:

456 Or.

457 El.

458—460 Cho.

ant. ι' 461—465:

461 Or.

462 El.

463—465 Cho.

Systema IV:

str. ια' 466—470 Hemich. A.

ant. ια' 471—475 Hemich. B.

Extra systemata posuit et Choro tribuit 306—314 et 476—478.

311. δίκη. M δίκηα et reliqua corrupta, sed α lineola transfixum est: G δίκης.

314. τριγέρων. Stanlejus suspicatur ita dici, quum jam post priores caedes tertia futura esset. Conferri potest finis tragoediae. Non tamen ita existimo, sed tantum significari pervetustum.

317. Pro ἂν ἕκαθεν Hermannus scribendum putavit ἄγκαθεν: postea tamen id ipse improbavit et scripturam librorum restituit, verum ita, ut vs. 334 mutaret, scilicet ut is conveniret versui 317. Omnino moneo, non ita apud me constare de regulis metricis, quas in tragicorum versibus non tantum dimetiendis verum etiam mutandis Hermannus aliique sequuntur, ut ipse quoque singulas eas mutationes et cunctas recipiendas putem, sed cavendum potius arbitrer, ne festinando aliquid depravetur forte magis quam emendetur. Praestat, quaedam ignorare fateri, quam incerta habere pro certis.

317. 'τύχοιμ' ἄν. Cf. 418.

317. οὐρίζειν h. l. intransitive positum, ut Pers. 602: est autem prospere vehi, ex re aliquid facere. Ἕκαθεν longinquum intervallum notat, quod sit inter Orestem et patrem, inter vivum et mortuum. Recessit a vindictae, quam spirabat, cogitatione ad fletum de sorte patris Orestes, et quaerit quasi quoddam patri solatium.

319. ἰσόμοιρον. Ita Turnebus: libri ἰσοτίμοιρον. Erfurdtius ad Soph. El. 86 dicit, metri causa scribendum esse ἀντίμοιρον, idque Hermannus recepit. Et modo quidem quid de mutationibus propter metrum illatis sentirem aperui, verum hoc tamen loco ἰσόμοιρον metro ipsum non repugnaret, si in ἰσόμοιρον eandem libertatem Aeschylus credendus esset sumsisse primae syllabae producendae,

quam sumsit in ἰσόθεος, Pers. 80 et 856. Verum vocabuli ἰσόθεος in anapaesto ponendi non eadem ratio est atque vocabuli ἰσόμοιρος.

319. Pertinent haec ad magnitudinem infelicitatis Agamemnonis significandam et deplorandam: nam quum ille victor redux interitum invenisset, maximus ejus splendor comparandus erat tenebris, quaeque gaudia appellata fuerant, lugendi potius nobilitatem pepererant. In epitheto εὐκλεὴς amara est quasi laudatio; quum gaudia in fletum mutata esse dicat, utitur epitheto, gaudiis magis apto. Nobilis quidem etiam dici potest res mala, velut a Livio dicitur nobilis clade Romana Caudina pax, L. IX 1: verum compositio adjectivi εὐκλεής hujusmodi ambiguitatem non admittit: igitur propter eam causam, quam dixi, nobilitatem cladis Agamemnoniae eo vocabulo Orestes significasse videtur. De plurali Ἀτρείδαις cf. 53 et 287. Orestae querelam idonea Chori consolatio excipit.

321. γόος. Similia ὀτοτύζειν 326, πολυδάκρυτα πένθη 333, ἐπιτυμβίδιος θρῆνος 335, πευκήεις ὀλολυγμός 386, οἶκτος 411, πένθημα 432, ὀδύρματα 508. Cf. ad 130 et ad 180.

325. ἡ μαλερὰ. Porsonum secuti editores plerique deleverunt articulum, propter metrum. Et tamen, comparans hunc versum cum 356, si anapaestici sunt, non absurdum puto, primum pedem versus 356 esse jambum: quum etiam in paroemiaco primum pedem ab Archilocho jambum pro anapaesto positum fuisse doceat Hephaestio, c. VIII 2.

325. μαλερὰ. Hesiodus Scut. Herc. 18 μαλερῷ δὲ πυρί.

326. φαίνει. Nempe ὁ θανών.

328. ὁ βλάπτων. Dubitari potest, an significetur, apparere, reperiri, nocentem, reum, ut poenas luat. Potius credo, significari mortuum, qui quum moriatur quidem deploretur, verum postea puniturus reos appareat.

329. πατέρων τε καὶ τεκόντων. Recte comparatus est locus Euripidis, Herc. fur. 1339

ὁ φύσας χὼ τεκὼν ὑμᾶς πατήρ.

Genitivus eodem modo pendet a γόος, ut 300 πατρὸς πένθος.

330. ἔνδικος. Conjungendum cum ματεύει. Respondet Chorus interrogationi Orestae vs. 315, quid ex re facere posset, luctum de patre susceptum, si immensus, quantus est, turbatur, excitatur, movetur, a nulla re abstinere sed quidvis exquirere, in eoque faciendo esse justum: neque eum quidquam effugere, quin poenas exigat. Ταράσσειν 289 conjungitur cum κινεῖν. Hermannus recepit Lachmanni conjecturam ῥοπὰν pro τὸ πᾶν, Schuetzius suadet ποινάν. Scholion est ζητεῖ τὸ ἀντιτιμωρεῖσθαι, et alterum ζητεῖ τὴν ἐκδίκησιν. Fortasse in ἔνδικος aliqua scriptura latet, quam illis verbis explicuere scholiastae.

334. Alii editores haec tribuerunt Orestae, alii recte existimant, continuari orationem Electrae. Itaque etiam scholiasta, qui ad 336 recte annotat: ἱκέτην μὲν ἐμὲ, φυγάδα δὲ Ὀρέστην. In libris est τοῖς ἐπιτυμβιδίοις.

339. ἀτρίακτος. Ahrensius vertit: insuperabilis: Etymologicus in verbo τριάσσειν explicat ἀήττητος: si scribas insuperabilem, intelliges non perferendam, verum ἀήττητος est, quae magnitudine vinci non possit. An est ulla major calamitas quam haec, patrem misere esse interfectum, ad tumulum vero ejus venire liberos, quo-

rum alter exsul sit, altera vero supplex? Si altera, quam Ahrensius dedit, interpretatio verior erat, conveniret Agam. 733 ἄμαχον ἄλγος.

340. χρῄζων Recte Blomfieldus explicat: si vult. Quodsi recta erat scholiastae interpretatio, ὁ χρησμῳδῶν Ἀπόλλων, necessario requirebatur articulus.

343. παιὰν. Libri παίων. Emendavit Blomfieldus. Μελάθροις ἐν βασιλείοις ad παιὰν pertinet: si ad κομίσειεν pertinebat, scribendum fuerat ἐς: velut Thuc. III 65 ἐς τὴν αὐτῶν πόλιν κομίσαντες. Et saepe alibi.

343. νεοκρᾶτα φίλον. Scaliger suasit φιάλαν legendum esse. Et locis iis, quae ab interpretibus ad h. l. et a lexicographis afferuntur, νεοκρὰς de vino ponitur: neque alia exempla novi. Ac dubitavi, an significaretur h. l. libatio in festo. Sed verba φίλον et κομίσειεν id admittere non videntur. A scholiastis triplex explicatio proponitur: una, ut significetur crater vini recens mixti, altera ut libatio mortuo tributa, quae fortasse a prima non differt, tertia Ὀρέστην, τὸν νεωστὶ συγκραθέντα ἡμῖν. Et credo equidem Orestem significari, verum ea etymologica explicatio mihi videtur nimis quaesita: translatum existimo adjectivum a recente vini mixtura universe ad id, quod sit recens: in quo fortasse tamen solennitatis et gaudii quaedam significatio remaneat, hoc loco ad laetitiam de recente Orestae reditu referenda. Pro κομίσειεν libri habent κομίζει.

345. In libris persona non ponitur, nisi in M lineola. Sunt, qui haec Electrae tribuant, recentiores interpretes recte Orestae.

347. δορίτμητος. Sic libri. Alii δορίδμητος, rursus alii δορίκμητος: hoc quidem, quamquam alia forma δορι-

κμής, occurrit 365. Pro κατεναρίσθης, librorum scriptura, alii κατηναρίσθης.

349. τε. Emendandum alii putarunt τ' ἐν.

350. ἐπιστρεπτὸν. Recte scholiasta explicat ὡς τοὺς ὑπαντῶντας ἐπιστρέφεσθαι πρὸς θέαν ἡμῶν. Pro αἰῶνα Dindorfius edidit αἰῶ, provocans ad testimonium Grammatici in Beckeri anecdotis p. 363, 17: ubi quidem illa forma dicitur ab Aeschylo posita fuisse: sed id alio loco factum esse potest. Pro κτίσσας, quod in libris est, fere receptum est κτίσας, secundum Robortellum.

352. M διαποντιουτᾶς, reliqui easdem literas, aliis accentibus.

354. Scholiasta haec Choro tribuit, pariterque recentiores, quos novi, editores: Hermannus hemichorio. Sed manifesto mihi continuari videtur Orestae oratio, eaque excipi ab Electra 363.

360. ἧς. M ἧν, ς adscripto supra ν: G ἧs, codex Robortelli ἧν. Dindorfius secundum Abreschium ἧσθ', Hermannus ἧν et ἔζη.

361. πιπλάντων. Sic libri. Alii πιμπλάντων.

362. πεισίμβροτόν. Libri. Alii πεισίβροτόν.

363. Scholiasta: γυναικικῶς οὐδὲ τούτῳ ἀρέσκεται, ἀλλὰ τῷ μηδὲ τὴν ἀρχὴν ἀνηρῆσθαι.

364. τείχεσσι. Libri. Alii τείχεσι.

365. ἄλλων. Libri. Stanlejus aliique ἄλλῳ.

365. δορικμῆτι. Blomfieldus aliique δουρικμῆτι. Vocabuli hujus etymologiam spectanti derivari mihi videbatur a κάμνειν, ideoque significare hasta laborantem, et esse fortitudinis epitheton. Verum duo exempla attulit Stanlejus, ex quibus apparet significari interitum: alterum exemplum activae significationis est, Aesch. Suppl. 678

ἀνδροκμὴς λοιγὸς, pestilentia viros perimens: alterum passivae, Soph. Aj. 325 ἐν βοτοῖς σιδηροκμῆσιν, inter pecora ferro peremta.

366. τεθάφθαι. Libri τέθαψαι. Id. retinet Klausenius, et ostendit, μηδὲ in hujusmodi sententia poni posse pro οὐδὲ, collato Soph. Philoct. 715 ὃς μηδ' ἥσθη. Tamen emendationem τεθάφθαι recipiendam putavi: quod etiam legit scholiasta, ut apparet ex ejus annotatione λείπει τὸ ὤφειλες.

367. Locus maxime varie tentatus. Et nos quoque olim tentavimus, conjicientes scribendum esse

πάρος δ' οἰκτρὸν ὄντα
νιν κ. τ. λ.

hac constructione, ut τινὰ non, ut quidam volunt, ad Electram, sed ad quemvis referretur: ἄπειρον autem non ad τινὰ, sed ad νιν: utinam, priusquam sic miserandus interiret, fatum ejus mortale procul aliquis audivisset, quum his laboribus caruisset. Sed neque haec mea, neque aliorum conjecturae mihi satis placent. Locum adhuc ita, ut in libris scriptus est, retineo: videtur tamen post δαμῆναι aliquid excidisse. Optat igitur Electra, ut priusquam Agamemnon ad Trojam sepultus fuisset, interfectores sic interiissent: difficilius quidem mors in bello inventa ad Clytaemnestram referri potest: ad Aegisthum vero facile: verum hoc non eo modo premendum videtur: optat, ut procul a patria periissent, ut eorum interitum aliquis procul, i. e. e longinquo, comperisset: significatur Agamemnon: ut is, illorum laborum, quos ad Trojam perpessus fuerat, quique ei tamen mortem pepererant, expers fuisset, et quum ipse domi felix esset, inimicos procul interiisse audivisset.

370. *πρόσσω.* Hermannus aliique *πρόσω.* Modo interpretatus sum. Abreschius interpretandum putat: postea.

372. *ὑπερβορέου.* De Hyperboreis Pindarus, Py. X 64

νόσοι δ' οὔτε γῆρας οὐλόμενον
κέκραται ἱερᾷ γενεᾷ. πόνων
δὲ καὶ μαχᾶν ἄτερ
οἰκέοισι, φυγόντες
ὑπέρδικον Νέμεσιν.

„nec morbi nec senecta infesta attingunt gentem sacram: laborum et pugnarum expertes degunt, fugientes ultricem Nemesin."

374. *φωνεῖς.* Libri *φωνεῖ.* Recepi quidem emendationem probabilem, et tamen librorum scriptura, si hiatus ferri potest, explicationem admittit, si *ταῦτα* est nominativus: ista, quae tu dicis, loquuntur, i. e. sapiunt felicitatem Hyperborea majorem.

374. *δδύνα σοι γάρ.* In M Hermannus esse dicit *ὁ δυνᾶσαι γάρ*, sed inspicienti specimen ejus codicis, quod exhibuit Dindorfius, apparuit mihi, ibi esse *δδυνᾶσαι γάρ*, quod idem in libris reliquis esse dicitur. Plerique pro eo ediderunt *δύνασαι γάρ*, hac significatione: licet enim tibi. Klausenius secundum Lachmannum *δδύνᾳ σᾷ*, deleto *γάρ.* Alii haec verba ejicienda existimarunt. Quae edidi, ipse conjeci. Ceterum conjectura *δύνασαι γάρ* adjuvatur a scholiasta, si nempe ad id verbum pertinet annotatio: *ῥᾴδιον γὰρ τὸ εὔχεσθαι*, quod tamen ad *φωνεῖς* pertinere potest. Specimen codicis Medicei a Dindorfio editum continet Choe. 373—416.

375. *ἀλλά.* Ista quidem, quae tu optabas, majora erant, quam quae fas esse videbatur optare. Verum postquam evenit aliter tuo patri, non inultus manebit.

Jam ad me sonitus venit vindictae: jam praesentio vindictam: sed liberos ille sonitus propius attingit quam me.

375. διπλῆς μαράγνης. Noster Agam. 642

διπλῇ μάστιγι, τὴν Ἄρης φιλεῖ.

Et Soph. Aj. 242

παίει λιγυρᾷ μάστιγι διπλῇ.

Quibus locis non duo flagella significantur, inter se pugnantia, sed unum flagellum, duplici scutica instructum et gravius verberans. Alia hujus loci ratio est. Significantur duo flagella, inter se pugnatura: ab altera parte eorum, qui Agamemnonem essent adjuturi, i. e. ulturi: ab altera vero Aegisthi et Clytaemnestrae. Est igitur sic positum, ut διπλῆ χεὶρ apud Soph. Ant. 14. Rursus aliter 937

διπλοῦς λέων, διπλοῦς Ἄρης.

376. τῶν μὲν ἀρωγοί. Significantur Dii inferi, non Orestes: si Orestes significaretur, non dici posset sonitus ad liberos venire propius, sed a liberis proficisci. Vocabula adjuvandi fere etiam habent significationem ulciscendi, velut h. l. ἀρωγός, Eurip. El. 138 ἐπίκουρος. Appositio κατὰ γῆς pertinet ad τῶν.

377. κρατούντων. Cf. 267 πρὸς τοὺς κρατοῦντας, et 716 τοῖς κρατοῦσι δωμάτων.

378. στυγερῶν. Apud Soph. Ant. 144 Chorus de Eteocle et Polynice τοῖν στυγεροῖν.

380. Pro ὡς alii maluerunt οὗς, quod non probo. Cf. Eurip. Hec. 395

ὁποῖα κισσὸς δρυὸς ὅπως τῆσδ' ἕξομαι.

Ubi pariter comparationis particula repetitur. Pro ἵκεθ' libri ἵκετο.

380. ἅπερ τε. Sic libri. Turnebus ἅτεπερ.

381. Haec porro Electrae tribuenda sunt: neque enim 384 *τοκεῦσι* Choro convenit, ibique scholiasta explicat *τῷ πατρί μου.*

383. *τλήμονι καὶ πανούργῳ χειρὶ.* Respondent haec versui 378 *χέρες οὐχ ὅσιαι.*

384. *τοκεῦσι* recte explicat scholiasta eo modo, quem diximus. Porro in M et G esse referunt *δ' ὅμως.* Verum, licet libenter iis cedam, qui majorem habent usum palaeographiae, tamen de Mediceo dubito, et scriptum mihi videtur *δ' ὤιβο στελεῖται*, in specimine, quod dedit Dindorfius, vel *δ' ὤιβοστελεῖται.* Aliquando cogitavi de *δ' ὠγμὸς τελεῖται*, ea sententia, ut *τοκεῦσι* ad Clytaemnestram referretur. Verum, dum meliora exspecto, recepi Scaligeri conjecturam *ὅπως*, quum etiam scholiasta in explicatione usus sit conjunctione *ἵνα*: nisi vero in verbis ejus *τὸ ὅμοιον καὶ ἴσον* lateat scriptura *ὁμῶς*: verba ejus sunt: *ἵνα τὸ ὅμοιον καὶ ἴσον τῷ πατρί μου φυλαχθῇ.* Pro *τελεῖται* Scaliger legere voluit *τελῆται*: quod non faciendum videtur. *Ὅπως* etiam cum futuro ponitur absolute, hoc quidem loco in precando, alias in monendo, velut Prom. 68

ὅπως μὴ σαυτὸν οἰκτιεῖς ποτέ.

Aristoph. Ran. 997

ὅπως μὴ πρὸς ὀργὴν ἀντιλέξεις.

Cf. ibidem 627. Ergo quum Chorus nunciaverit, instare certamen inter Agamemnonis ultores et ejus sceleratos inimicos, Electra, percussa quasi telo eo nuncio, precatur Jovem, ut id certamen bene evenire jubeat hostibusque poenam mittat, perficiatur vero ea poenae vindicta patri suo. Hermannus edidit *τοκεῦσι δ' ὁμῶς τελοῖτο.*

385. Haec Chori sunt. Nam totus color orationis

est ejus, qui non perfecturus est ultionem, sed laetus adspecturus: conveniunt haec fere cum 627: et vocabulum γυναικὸς Orestae vel Electrae, quamvis infestis, fortasse minus conveniret: nam appellatio ea 304 magis ad contemtum Aegisthi pertinet: comparentur 46, 133, 525: vs. 90 uxoris significatione id nomen ponitur, et matris nomen additur.

389. φρενός. Genitivus locum significat, quomodo 352 διαποντίου γᾶς. Cf. 102

μὴ κεύθετ' ἔνδον καρδίας.

390. θεῖον. Haec causa est, cur non frustra putet se precari, nec oportere iram pectore premere: divinum numen non quiescit, sed volitans attingit in tempore reos. Stanlejus ἔμπας s. ἔμπα suspicabatur esse nomen, ut apud Hesychium ἔμπα πόληος (πόλιος), στήριγμα τῆς πόλεως: sed de ea scriptura ἔμπα merito dubitatur. Pro θεῖον Dindorfius et alii edidere οἶον, deleta interpunctione ante id vocabulum: sic esse una cum superioribus et sequentibus copulata sententia videtur, et Klausenius, illam conjecturam recipiens, ποτᾶται explicat de affectione animi. Conjectura οἶον debetur Hermanno, qui plura porro mutavit: θεῖον confirmatur explicatione scholiastae τὸ εἱμαρμένον et τὸ μοιρίδιον.

391. πάροιθεν κ. τ. λ. Sic fere Latini: in praecordiis.

392. ἄηται. Ita in M esse perspexi in tabula, quam dedit Dindorfius: nonnulli ibi scriptum esse putarunt ἄκται. Recte Klausenius affert Hom. Il. Φ 386

δίχα δέ σφιν ἐνὶ φρεσὶ θυμὸς ἄητο,

et ad δριμὺς θυμὸς Il. Σ 322 δριμὺς χόλος.

394. Sunt Orestae. A scholiasta non tributa esse Choro, apparet ex annotatione ad ἀμφιθαλὴς, ὁ ποιήσων

ἄμφω ἡμᾶς ἀναθαλῆσαι. Et Electrae minus convenit tam acre vindictae studium tam acerbis enunciatum vocibus.

394. *ἀμφιθαλής*. Significare patrimum et matrimum, satis notum est: verum ea interpretatio, quam h. l. dat scholiasta, mihi rationem habere non videtur. Ut *θάλλειν* est florere, ita hoc adjectivum ad eas res, quibus quis floreat, traducitur, velut divitias, auctoritatem: quin noster Ag. 1144 dixit *ἀμφιθαλῆ κακοῖς βίον*, affluentem malis vitam. Epitheton Diis tribuitur: Aristoph. Av. 1737 *ἀμφιθαλὴς Ἔρως*. Orph. Hy. XXXXVI 2

Νύσιον, ἀμφιθαλῆ, πεποθημένον, εὔφρονα Βάκχον.

Ergo hoc Aeschyli loco videtur esse praepotens. Aliquando dubitavi an legendum potius esset *ἀμφιθαλῆ*, sed certe non necessarium est.

397. Scholiasta: et credant cives, te harum rerum esse auctorem. Hermannus: contingat mihi fidere posse civibus. Verum precatur potius, ut cives, qui nunc pressi servitio imperantibus diffidebant, cum libertate fiduciam recuperarent, quam regiae genti haberent.

399. *τὰ χθονίων τετιμέναι*. Blomfieldus versum corruptum putat: Dindorfius mutavit *Γᾶ χθονίων τε τιμαί*: Hermannus *τὰ χθονίων πρότιμα*. Scholiasta: *αἱ Ἐρινύες παρὰ τῶν χθονίων θεῶν τετιμημέναι*: ergo agnoscere videtur *τετιμέναι*, sed passive explicat. Fortè legendum est *κλῦτε τάδε, χθονίων τετιμέναι*: ut *χθονίων* partitive positum sit, quomodo apud Pind. Ol. II 117 *παρὰ μὲν τιμίοις θεῶν*. Adhuc tamen in vulgata acquiesco, sed *τετιμέναι* esse existimo mediae formae et significationis activae, quomodo 18 *δός με τίσασθαι μόρον πατρός*.

400. *σταγόνας*. Weigelius dedit *σταγόνος*, certe e vitio typographico editionis Glasguensis, commate posito

post πέδον: quod quamquam non recepi, tamen arridet mihi, et singularem numerum graviter positum esse crediderim ad significandam unam caedem, quae plures provocet. Cf. 66.

401. προσαιτεῖν. Praeterea postulare: Xenoph. Anab. L. I c. III 21 προσαιτεῖν μισθόν, majorem mercedem postulare.

402. βοᾷ. Recte scholiasta: διὰ βοῆς ἐφέλκεται.

402. λοιγὸν Ἐριννύς. Scripturam hanc librorum agnoscit scholiasta. Schuetzius aliique dederunt λοιγὸς Ἐριννὺν, non recte.

403. πρότερον. Libri προτέρων, quod retinuit Klausenius, idemque λοιγὸν Ἐριννύς. Acumen habet in loci explicatione, hoc modo, ut παρὰ habeat accusativum ἄτην, significans propter, ut ad illud ἄτην pertineat ἐπάγουσαν, et ab hoc participio pendeat ἑτέραν. Nos tamen παρὰ h. l. habere genitivum φθιμένων credimus, et ἄτην esse appositionem vocabuli λοιγὸν, ad ἄτην pertinere ἑτέραν et ἐπάγουσαν, hoc vero participium intransitive positum esse significatione irruendi, quomodo apud Homerum Od. T 445

ὡς ἐπάγοντες ἐπῇσαν.

Pro ἐπάγουσαν Turnebus habet ἐπάγουσ'.

405. Dindorfius haec Electrae, nos Orestae tribuimus: similiter scholiasta, qui ad vs. 412: ὅτε σε οἰκτιζόμενον ἴδω Ὀρέστα.

406. φθιμένων. M φθειμένων.

408. δωμάτων ἄτιμα. Cf. 295 πάντων δ' ἄτιμον.

409. πᾶ τις τράποιτ' ἄν. M πετιστραποιταν, sed in margine πᾶι τις τράποιτ' ἄν.

409. ὦ Ζεῦ. In M omissum esse dicit Hermannus verum exstat in specimine Dindorfii.

410. Satis oratio docet, repetens commoti animi significationem, quam habet vs. 391, esse haec quoque Chori.

410. *πέπαλται.* M *πεπαλατε*, *αι* adscripto supra *ε*.

411. *κλύουσαν.* Non rara est haec casuum mutatio, si infinitivus additur, velut apud Pind. Ol. I 15 *σοφῶν μητίεσσι, κελαδεῖν ἱκομένους.* Verum hoc loco audacior mutatio est.

413. *μου.* Dindorfius in M dicit esse *μοι*, Hermannus vero affirmat esse *μου*, itaque est in specimine apud Dindorfium.

414. *πρὸς ἔπος.* Recte Blomfieldus hoc cum *κελαινοῦται* conjungit.

416. *θρασέ' ἀπέστασεν.* Ita Turnebus. Libri habere dicuntur *θραρέα πέσταισεν.* Tamen de Mediceo rursus dubito, et in specimine Dindorfii esse mihi videtur *θραρέα πεί υσεν.* Fortasse *πίστευσεν*: nam pro *ι* aliquando scribi *ει* vidimus vs. 406. Verum hoc ipsum hunc locum non sanat. Aldina *πείστασεν.* Mutatio, quam dedit Turnebus, hanc quoque rationem habere potest, quod vs. 379 in *παισὶ* *σ* multam habet similitudinem literae *ρ*. Ad *ἐπαλκὲς* scholiasta *ἰσχυροποιόν.* Si locus ita retinendus est, ut dedimus, ad *ἐπαλκὲς* intelligi existimo *ἔπος κλύω*, et ad *θρασέ'* intelligitur *σπλάγχνα*: sensus ex interpretatione Latina, quam dedimus, apparet. Klausenius hos versus ita constituit:

ὅταν δ' αὖτ' ἐπαλκῆ σ' ὁρᾷ,
πρὸς τὸ φανεῖσθαί μοι καλῶς
ῥεῖ' ἀπέστασεν ἄχος.

Si quid hujusmodi confirmationem reperiet, fortasse *ῥαῖ* melius erit quam *ῥεῖ'*: nam Hesychius habet *ῥαῖ, ῥαῖστον,*

ῥᾳδίως, et Etymologus ῥαί σημαίνει τὸ εὐχερές· ὁ τόνος, ὅτι ἦν ἀπὸ τοῦ ῥέα, ὤφειλε περισπᾶσθαι.

418. τί δ' αἰνὰ φάντες τύχοιμεν ἄν. Libri τί δ' ἂν πάντες τύχοιμεν ἄν. Antiqui editores τί δ' ἂν εἰπόντες τύχοιμεν ἄν: recentiores editores τί δ' ἂν φάντες τύχοιμεν, deleto altero ἂν post τύχοιμεν. Hoc vero retinendum duco, collato vs. 317, et Agam. 1232 τί νιν καλοῦσα — τύχοιμ' ἄν, sed prius ἂν mutandum putavi. Scholiasta: τί δεινὸν εἰπόντες κατὰ Κλυταιμνήστρας τύχοιμεν τῆς σῆς συμμαχίας, ὦ πάτερ; ἢ ἃ πεπόνθαμεν; Cernimus, in hoc scholio antiquis editoribus rationem constitisse, cur ederent εἰπόντες. Sed in eodem scholio causa mihi esse visa est, cur prius ἄν, quod tamen vix ferri poterat, ejiciendum putarem, et pro δ' ἂν scriberem δ' αἰνά. Vocabulum πάντες ferri non posse,. sponte apparet. Ergo scribendum putavi

τί δ' αἰνὰ φάντες τύχοιμεν ἄν.

Quorum singula respondent explicationi scholiastae. Ex αἰνὰ facile oriri potuit ἄν, quum α saepe sic scribatur apposita lineola, ut vix ab αι distingui possit; quod ostendit Bastius in Commentatione Palaeographica p. 705: cujus rei exemplum est in ipso codicis Medicei specimine, vs. 397, ubi πιστὰ ita scriptum est, ut postrema litera additum sibi jota habere posse videatur. Est autem αἰνὰ adverbii instar, ut apud Homerum, Il. Α 414 αἰνὰ τεκοῦσα. Cf. Agam. 121, 139 et 159 αἴλινον αἴλινον εἰπέ. Quodsi malis pressius verba scholiastae sequi, pro δ' αἰνὰ φάντες reponendum erit δείν' εἰπόντες: velut apud Aristophanem, Nub. 389 δεινὰ κέκραγεν. Sed saepe scholiasta verba mutat, sententiam exprimit. Atque in εἰπόντες magis a scriptura πάντες recesseris: δεινὰ quidem ex

δ' ἂν etiam elici posset, si quidem α etiam cum ει saepe magnam similitudinem habet: ut idem Bastius docet p. 706. Jam igitur magis crescit Orestae ira et indignatio, ut vix verba reperire sibi videatur, quibus ea quae sentit exprimere possit.

418. ἦ τά περ. Pro his Turnebus ὦ πάτερ: certe e scholio: minime male, sed a libris non recedendum putavi.

419. ἄχεα. Libri ἄχθεα, sed recte emendatum est; scholiasta ad τὰ vs. 420 scribit τὰ ἄχη.

419. πρός γε τῶν τεκομένων. Sunt qui Agamemnonem et Clytaemnestram significari ita putent, ut Orestes se ab altero sentiat premi propter vindictae studium et graves minas, si id negligat, ab altera vero se in exsilium ejectum esse. Verum significatur unice Clytaemnestra nomime τεκομένων, nec dolores alii significantur praeter ipsam necem patris easque res, quae cum ea conjunctae erant.

422. θυμὸς. Ira mea. Licet Clytaemnestrae mulcere conari, quae semel nobis nece patris mala intulit: verum ejusmodi ea mala sunt, ut mitigari non possint; ira mea, lupi similis, mitigari se a matre non sinit. Ita enim ἐκ ματρὸς ad ἄσαντος pertinere existimo, οὐ σαίνεται ἐκ i e. ὑπὸ ματρός. Cernimus, crescere odium filii, a Choro et Electra et suo ipsius impetu incitati: mox etiam magis vs. 425. Cf. quae scripturi sumus ad vs. 973. Conatus autem Clytaemnestrae mulcendi mala significatur missis inferiis.

423. ἔκοψα. Recte restitutum ex M pro ἔκοψε.

423. Ἄριον. Sic editores novissimi: nec pugno: libri Ἄρειον. Scholiasta explicat Περσικόν. Existimo, Medos

significari antiquo nomine, ut narrat Herodotus VII 62 de Medis, ἐκαλέοντο δὲ πάλαι πρὸς πάντων Ἄριοι. Idem alium Asiae populum hoc nomine memorat III 93 et VII 66.

423. εἶτε. Hermannus ἔν τε, non inepte, nec tamen necessarie.

423. Κισσίας. Cissium nomen cum Susis et Ecbatanis jungitur Pers. 17. Herodotus in Cissia Susa fuisse memorat L. VI 49, 52.

424. νόμοις ἰηλεμιστρίας. Ita recte ediderunt editores recentiores, collato Hesychio: ἰηλεμιστρίας: θρηνητρίας. In libris νόμοισιλεμιστρίας, Turnebus νόμοισι πολεμιστρίας. Cf. Eurip. Herc. fur. 109 ἰηλέμων γόων ἀοιδός. Comparatio Ariae vel Cissiae praeficae pertinet ad majorem dolendi lugendique gestum, multis Orientalibus populis proprium: qualis etiam expressus est in extrema parte tragoediae Persarum. Totus hic locus, usque ad vs. 428, nihil habet praeter vehementis doloris significationem, quem Chorus tum, quum Agamemnon caederetur, planctu ingenti prodidisset. Antea interpretes, quum legerent ἔκοψε et πολεμιστρίας, haec ad Clytaemnestram spectare crediderunt, et ad ictus plures, quibus illa maritum interfecit.

425. ἀπριγδόπληκτα. In libris ἄπριγκτοι πληκτά. Emendavit Blomfieldus, collato Pers. 1057 et 1063. Cf. etiam Soph. Aj. 310

κόμην ἀπρὶξ ὄνυξι συλλαβὼν χερί.

Pro πολύπλαγκτα sunt qui malint πολυπλάνητα: fortasse vere. Ceterum ad hanc carminis partem cf. quae annotavimus ad 162. Miror autem, Blomfieldum, Wellauerum et Ahrensium haec tribuere Electrae, cui minime

ejusmodi planctus et lugendi strepitus et sonans clamansque ejulatus convenit. Contra mos hujus puellae pingitur 445 seqq.

426. ὀρέγματα. Aldina ὀρείγματα, Turnebus ὀρύγματα. Quod si verum esset, χερὸς ὀρύγματα significarentur vulnera, manu dilaniante perfecta: ut vs. 24 Φοίνιοι ἀμυγμοί. Sed mutandi causa non est.

427. ἐπεῤῥόθει. Ita Stanlejus. Libri, quantum scio, ἐπιῤῥοθεῖ.

435. ἆρα. Libri ἀρὰ.

438. ὀλοίμαν. Recte pridem emendatum, adjuvante scholiasta: libri ἐλοίμαν.

439. ἐμασχαλίσθη. M et G ἐματχαλίσθης, Robortellus ἐμασχαλίσθη, nescio utrum emendans an e codice suo. Etiam scholiasta legisse videtur ἐμασχαλίσθη. Est autem μασχαλίζειν extremas corporis partes amputare et sub occisi axillis suspendere: Suidas id ad caedis expiationem pertinuisse dicit, idque convenire videtur cum Apollonio Rhodio, L. IV 477 de Jasone in caede Absyrti:

ἥρως δ' Αἰσονίδης ἐξάργματα τάμνε θανόντος.

Verum hoc loco lacerationis et amputationis contumelia significatur. Similiter apud Soph. El. 444 de eodem

ἄτιμος ὥστε δυσμενὴς
ἐμασχαλίσθη.

Cf. Virgil. Aen. VI 494.

440. δέ γ' ὡς τόδ' εἰδῇς. M δὲ τωστοστείδης, G idem conjunctim. Recepi emendationem probabilem, ab Hermanno maxime commendatam: neque enim nimis differt a scriptura, et sententia apta huic loco est, conveniens versui 443. Tamen propter mire portentosam scripturam

nolo silere, quae aliquando conjeceram: δέ γ', ἴστω δ' Ἅιδης, collato Euripide, Alc. 452, vel δέ γ' ὥς τις ἀναιδής.

440. ᾧπερ. Libri ἅπερ. Ahrensius vertit: ut eum tractavit: verum πράττειν non ita, quantum scio, cum accusativo ponitur, πράττειν τινὰ κακῶς vel similiter. Habere videtur conficiendi, occidendi significationem, quomodo 875 τελεῖν.

441. κτίσαι. Commendavit Stanlejus: κτεῖναι M & G: Robortellus θεῖναι, nescio an e codice suo. Aliquando conjeci μόρον τ' εἶναι. Verum κτίσαι metro videtur magis convenire, et confirmari exemplis, Pers. 288 Ἀθᾶναι πολλὰς Περσίδων ἔκτισαν εὔνιδας ἠδ' ἀνάνδρους, Choë. 1060 ἐλεύθερόν σε κτίσει, et accommodatius esse scholiastae explicationi, utentis verbo κατασκευάζειν: quod tamen magis ad μωμένα pertinere potest. Sententia autem est hujusmodi, ut Chorus, haec narrans Orestae, ignominiam illam patri illatam maxime ad ipsum Orestem pertinere existimet.

442. ἄφερτον. Ita R, rursus nescio an e codice. M et G ἄφερκτον. Cf. Agam. 1600, ubi Aegisthus de Thyeste, ab Atreo nefariis epulis excepto, postquam illas cognovit,

μόρον δ' ἄφερτον Πελοπίδαις ἐπεύχεται.

Non videmus, apud Aeschylum constitisse, Clytaemnestram voluisse interficere filium. Neque ipse, nec Electra, nec Chorus hoc ei imputant. Imputat matri Orestes exsilium suum, 913. Idcirco μόρος h. l. non de morte, sed de toto fato dictum existimo: et αἰῶνι non de illa aetate, qua tum Orestes erat, quod nec ipsius vocabuli significationi conveniret, sed de tota vita.

443. Libri κλύει et δυσατίμους: pridem emendatum est.

444. Dubitavi, an hic versus ortus fuisset ex interpretatione vocum proxime praecedentium, ut ea fuisset: λέγει πατρῷον μόρον. Sed recte se habere existimo: excipiens Electra Chorum alloquitur: haec tu de patris sorte narras, nunc quid ego tum passa fuerim dicam. Hermannus suadet ἔχεις, ut sit ad Orestem oratio: habes, accepisti.

446. μυχοῦ. Stanlejus suadet μυχῷ δ' ἐφερκτος: Hermannus edidit μυχῷ δ' ἄφερκτος. Verum retinendus videtur esse genitivus, neque ita pertinere ad ἄφερκτος, ut significetur: ab angulo seclusa: sed esse genitivus loci, quomodo 352 διαποντίου γᾶς, et 389 φρενός.

448. ἑτοιμότερα γέλωτος. Videri possit his verbis non satis acriter tam gravis in ejusmodi casu tristitia esse descripta: verum Graeco mori tamen ea convenire apparet ex usu vocabuli ἀγέλαστος, velut in hac ipsa tragoedia Chorus vs. 28 gravissime cum planctu querelas effundens appellat ξυμφορὰς ἀγελάστους.

449. χαίρουσα. Ita libri. Hermannus et Dindorfius recepere valde speciosam Dobraei conjecturam χέουσα. Sed recte Blomfieldus locum interpretatus est, κεκρυμμένα ut sit forma media activae significationis, et χαίρουσα κεκρυμμένα gaudens quod occulerem. Scilicet tantus illam terror invaserat, ut ne aperte quidem auderet conqueri, sed bene sibi esse existimaret, si lacrymas celare saltem posset. Exempla hujus constructionis verbi χαίρειν cum participio affert Blomfieldus, velut Herod. VII 236 τρόποισι τοιούτοισι χρεώμενοι οἱ Ἕλληνες χαίρουσι: Eurip. Hipp. 8 τιμώμενοι χαίρουσιν. Et verbum κρύπτω forma media etiam activam significationem habet Soph.

Aj. 246 κάρα καλύμμασι κρυψάμενον, et 647 ὁ χρόνος φανέντα κρύπτεται.

449. κεκρυμμένα. Huc pertinet scholion πρὸς τὸ κατάκλειστος, quod Dindorfius ad χαίρουσα πολύδακρυν posuit. Idem de conjectura edidit κεκρυμμένον.

451. συντέτραινε. Ita libri. Robortellus de conjectura συμμέτραινε, Turnebus σὺ τέτραινε.

452. ἡσύχῳ. Monet Chorus, ut diligenter attendat neve aberret a proposito. Pro φρενῶν in libris est φρονῶν.

454. τὰ δ'. Reliqua, nempe quae ad ipsum supplicium pertinent, quum τὰ μὲν fuissent, quae ad mortem Agamemnonis pertinebant. Retinui librorum scripturam ὀργᾷ, quae etiam a scholiastis agnoscitur, quorum alter existimat esse dativum, alter tertiam personam verbi ὀργάω. Recte Wellauerus monet, μαθεῖν esse infinitivum pro imperativo positum. Emendatio Scaligeri ὄργα a plerisque recepta est: non inepte aliquis suasit ὅρμα.

455. καθήκειν. Ad propositum.

458. ἄδ'. Ita Robortellus: in M et G ἀδ', in Aldina ὧδε. De permutatione literarum α et ω cf. annotatio ad 474.

458. στάσις. Cf. 114.

460. πρὸς ἐχθρούς. Scholion ἀντὶ ἐχθρῶν non recte mutavit Dindorfius, quum ediderit ἀντὶ τοῦ ἐχθρῶν. Praepositionem πρὸς explicat scholiasta per ἀντί.

461. ξυμβάλλει. Ita libri. Fere mutatum est propter metrum; alii scripserunt ξυμβάλοι, alii ξυμβαλεῖ.

462. Post ἐνδίκως Hermannus de conjectura addidit δίκας.

464. Cf. 390, et quae annotabimus ad 958. Significatur poena Clytaemnestrae et Aegisthi.

465. ἀνέλθοι. Ita recte Wellauerus, Lachmannum secutus. Vulgo secundum libros ἂν ἔλθοι.

471. ἔμμοτον. Sunt, qui interpunctionem ponant post ἄλγος, et pro ἑκὰς legant ἄκος. Est autem ἔμμοτον medicamentum liquidum, linteolis concerptis vulneri ipsi inditum. Verum etiam ἔμμοτοι dicuntur qui vulnere cavo laborant. Apud Hesychium est ἔμμοτος, τραυματίας, νοσώδης: et hoc loco ad ἔμμοτον est scholion ἔνουλον ἢ βαθύτατον. Non igitur dubito, quin conjunctum sit cum ἄλγος, hac significatione: o dolorem, vulneris instar profundi domibus inditum. Emendare quidam voluerunt ἔμμονον, vel ἔμμορον.

472. τάνδ'. Libri τῶν δ'. Mutavi de conjectura mea: vide quae ad 474 disputabo. Pro ἑκὰς Hermannus, Dindorfius et Klausenius ediderunt ἄκος, idque in Mediceo esse affirmatur a Klausenio et in editione Weigelii: ab Hermanno negatur, sed affirmat is, in illo codice esse ἑκὰς. Schuetzius edidit ἔτας. Stanlejus cogitavit de ἕκαστ'.

474. αἰανὰν ἔριν. In libris αιωμαναιρεῖν, vel, ut in Weigeliana editione notatur, sine accentu. Turnebus αἰῶν' ἀναιρεῖν. In postremis literis latere ἔριν vidit Hermannus, eaque emendatio confirmatur scholio ἣν ἤρισε πρὸς τὸν πατέρα. Hermannus ergo dedit διώκειν ἔριν. Klausenius et Dindorfius δι' ὠμὰν ἔριν. Mihi conjicienti scribendum esse visum est αἰανὰν ἔριν. Quam facile ν et μ inter se permutentur, ostendit Bastius p. 725, et exemplum ejus mutationis manifestum est hujus fabulae vs. 1001. De mutatione literarum α et ω idem disputat pp. 708, 739, 748: atque in postrema tamen disputatione minus diligenter auctor doctissimus notam, qua

omega significetur, similem esse dixit signis iis, quibus alpha significetur in vocabulis ἄστρων et αὐτὸν, Tab. III linea 12. Verum in ipso codicis Medicei specimine apud Dindorfium vs. 375 postrema syllaba vocis κρατούντων ita scripta est, ut pari jure -των atque -ταν legi posse videatur. Ergo αἰακὰν ita potuisse depravari, ut inde oriretur ea scriptura, quae nunc in libris est, apparet luculenter. Sententiam esse hujusmodi existimo: in ἑκὰς intelligi negationem ex negatione sequente, conf. 294: ἔριν ἀπ' ἄλλων breviore constructione, sed, praesertim praeposito pronomine τάνδε Graecae linguae maxime consentanea, dictum esse, ut significetur vindicta, non ab aliis ventura, sed ab ipsis, nempe proximis, i. e. Oreste. Denique accusativus ἔριν ita pendere videtur ab ὕμνος, ut ex eo vocabulo intelligatur ὑμνεῖν. In Persis 490 legebatur

ἵετ' αἰχνὴν καὶ πανόδυρτον
δύσθροον αὐδάν.

Nunc quidem αἰακῆ πάνδυρτον. Verum utraque forma, αἰχνὸς et αἰακὴς ponitur eadem significatione: Hesychius habet αἰακὸν, χαλεπὸν, αἰνόν. Si aliquid audendum erat, legerem αἰάζειν ἔριν. Cf. Pers. 922

γᾶ δ' αἰάζει τὰν ἐγγαίαν
ἥβαν.

474. αἱματηρὰν. Ita libri. Turnebus αἱματηρᾶν. Cf. Agam. 698 ἔριν αἱματόεσσαν.

475. Addiderunt alii τῶν post θεῶν, etiam Wellauerus, tum metrum, tum sententiam id postulare arbitratus. De metro non judico: sententiam pati articuli praetermissionem apparere videtur ex 287 προστροπαίων ἐν γένει. Cf. Agamemnon 1191, ubi Erinnyes

ὑμνοῦσι δ' ὕμνον δώμασιν προσήμεναι.

478. *νίκην*. Ita libri. Hermannus aliique *νίκῃ*.

480. *αἰτουμένῳ*. Libri *αἰτούμενος*. Emendavit Turnebus.

482. *μόρον*. Deest in libris, suppletum est a Turnebo, conjectura probabili. In *φυγεῖν* haesit Schuetzius: etiam Hermannus mutavit, scripsitque *τυχεῖν*, idemque *φθόρον* pro *μόρον*. Recte scholiasta: *ὥστε φυγεῖν τὰς ἐπιβουλὰς Αἰγίσθου τιμωρησαμένην αὐτόν*. Accusativus *μόρον* et verbo *φυγεῖν* et participio *προσθεῖσαν* junctum est.

483. *δαῖτες*. Sacri honores. Pind. Ol. VIII 69 *δαῖτα κλυτάν*. Cf. Ol. IX 166 et Hom. Il. A 424.

484. *παρ'*. Juxta, i. e. quum alii mortui fruentur sacris.

485. *ἐμπύροισι*. Emendatum est pro librorum scriptura *ἐν πυροῖσι*. Cf. Soph. El. 405 *τῷ φέρεις τάδ' ἔμπυρα*. Ceterum *ἄτιμος*, hoc loco cum dativo positum, 295 et 408 genitivum habet.

485. *χθονός*. Quia libamina et immolationes in tumulis fiebant. Pro *κνισωτοῖς*, quod in libris est, fere editur *κνισσωτοῖς*, secundum Victorium.

488. Jam ad vs. 255 Homerum comparavimus: qui humana ad Deos transferebat, aegre suis honoribus carituros, et facilius ad vindictam commovendos, si sua interesse intelligerent. Attendamus, hunc Homeri morem ab Aeschylo servatum esse: hoc quoque loco, ubi Dei instar Agamemnon invocatur, omnia eo pertinere, ut et ira ejus excitetur recordatione ignominiae, et praemia proponantur auxilii, quod petunt liberi. Et jam antea Electra similibus precibus patrem compellavit, illudque eximie precata est, 141, ut sibi daret, ut melior matre exsisteret. Qua de re optime disputavit Brouwerus,

Proeve over de zedelijke schoonheid der poëzy van Eschylus, p. 120.

490. δὸς δέ τ'. Ita libri: malunt alii δὸς σὺ δ', alii δὸς δέ γ'.

490. εὔμορφον. Recte collatum est Soph. Oed. Tyr. 189 εὐῶπα πέμψον ἀλκάν.

492. ᾧ σ'. M ὧισ'. Et vero in eo libro, quantum scio et memini, jota subscriptum post vocalem poni solet: cf. 23, 719, 892, 948, 969, 1033.

492. ἐκαίνισαν. Agam. 1071 καινίζειν ζυγὸν est accipere novum jugum: simili modo hoc loco explicatur: recens advenientem excipere. In qua explicatione acquiesco. Blomfieldus:

μέμνησο δ', ἀμφίβληστρον ὡς ἐκαίνισαν.

Non male: si quidem καινίζειν solet habere significationem aliquid novi faciendi. Abreschius conjecit ἐκαίνυσαν, vincendi notione: quod tamen verbum habet, quantum scio, formam mediam, et Hesychius καίνυσθαι, νικᾷν: καινυμένα, διαφθείρουσα: verum idem tamen καινύτω, νικάτω: verum etiam καινίζειν Abreschius putavit caedendi habere notionem, provocans ad Lucianum, Asin. c. 40 σώζειν ἐμαυτὸν ἐκ τῆς καινίδος: ubi tamen Jacobitzius legit κοπίδος: verum etiam Herodianus, Epimer. p. 63 habet καινὶς, ἡ μάχαιρα. Ahrensius, retinens ἐκαίνισαν, vertit: peremerunt. In ea interpretatione, quam nos sequimur, amara videtur esse significatio adventus celebrati.

494. ἐν καλύμμασιν. Minus recte Portus conjecit ἐγκαλύμμασιν.

498. ἀντίδος λαβεῖν. Non recte scholiasta: ἀντίλαβε. Quomodo διδόναι dicitur cum infinitivo, ut vs. 17, sic

quoque *ἀντιδιδόναι*: redde hostibus tuis ut accipiant damna paria. Quod autem nonnulli volunt scribere *λαβὰς* pro *βλάβας*, et Suidam afferunt et loca Platonis, Phaedr. 236 B et Rep. 544 B, ejus vocabuli significatio ab hoc loco aliena est. Ceterum personarum distinctio in hac parte fabulae rursus in libris vacillat.

495. *ἐξεγείρῃ*. Sic libri: multi editores *ἐξεγείρει*, eodemque modo scripturam mutarunt 509, 895, 912.

502. Pro *γόνον* sunt qui suadeant *γόον*. Quod mihi non placet: nec dubito, quin *ἄρσενος γόνον* eadem significatione dictum sit qua *ἄρσενα*: recte Abreschius contulit Hom. Il. Z 180 *θεῖον γένος οὐδ' ἀνθρώπων*.

505. *κληδόνες*. Minus bene conjecerunt *κίονες*.

506. *φελλοὶ*. Simili suberis comparatione, sed in alia re, utitur Pindarus Py. II 146.

507. *λίνου*. Ita M a manu prima et R: in M mutatum est alia manu in *λίνον*, idque habet G. *Λίνου* commendatur collatione Euripidis apud Pollucem L. VII C. X 31 *λίνου κλωστῆρα*. Si *λίνον* retineretur, esset appositio vocabuli *κλωστῆρα*.

510. In M hic versus sic scriptus est: *καὶ μὴν ἀμόμφητουδετιναтὸν λόγον*. In G non differt, nisi quod *δέ* cum accentu positum est. In Aldina et a Turnebo praetermissus est: a Robortello post versum *τίμημα* positus est, eumque ordinem servavit Hermannus, simul *σῶζε* scribens pro *σώζει*. Et ea quidem non probo: sed ipsius hujus versus emendatio Hermanno debetur, qui tamen pro *ἐτείνατον* edidit *ἐτεινάτην*: Klausenius *ἐτείνατον*. Verbum *ἐτείνατον* confirmari etiam videtur a scholiasta, annotante *λείπει ἡ εἰς*: quae annotatio recte ad illud verbum pertinuit, si legit *ἀμόμφητου* et genere neutro positum

putavit. Wellauerus, totam orationem a vs. 496 ad 513 Electrae tribuens, scripsit *ἀμόμφητον δ' ἔτεινα τὸν λόγον.*

511. *τίμημα.* Aestimatio fere mulctae: quae quum sit compensatio, facile significatio transit ad compensationem honoris tribuendam tumulo, quod is honore lacrymarum debito caruisset. Non recte Blomfieldus addit *τ'* post *τῆς*: neque enim tumulus et sors indefleta compensanda erant, sed tumulo compensatio sortis illius danda.

516. *τιμῶσ'.* Opitulans, mederi conans.

517. *οὐ φρονοῦντι.* Non recte scholiasta: *μὴ φρονοῦντι τὰ αὐτῆς*, i. e., si bene intelligo, infesto. Nec Stanlejo et Hermanno assentior, qui explicant: negligenti, non curanti, contemnenti. Si *φρονεῖν* sensum significat, isque sensus ad dona pertinet, loci sententia est, Agamemnonem ea dona non sentire, quia sit mortuus. Atque hoc loco oriretur difficultas, quum modo iram ejus excitaverint, auxilium imploraverint, sacra ei polliciti fuerint, certe sensuro. Cf. 323 *φρόνημα τοῦ θανόντος οὐ δαμάζει πυρὸς ἡ μαλερὰ γνάθος.* Verum hunc locum ita interpretor, *φρονεῖν* dici de vita et spiritu: cujus significationis alterum exemplum est apud Homerum, Il. X 59

πρὸς δ' ἐμὲ τὸν δύστηνον ἔτι φρονέοντ' ἐλέησον.

Est ergo hoc Aeschyli loco tautologia, *θανόντι δ' οὐ φρονοῦντι*, nec ea ab acerbiore sententia gravitate aliena: postquam interfecit et vitam ademit, inanem nec profuturum nec malo insanabili, quod ipsa intulit, auxiliaturum honorem misit. Similis tautologia est 528 *τελευτᾷ καὶ καράνοῦται*, et initio tragoediae *ἥκω καὶ κατέρχομαι* et *κλύειν ἀκοῦσαι*: quae tamen defenduntur apud Aristophanem, Ran. 1163 et 1174. Etiam *ἔμφρων* dicitur qui nondum exspiravit, Soph. Ant. 1237.

518. *οὐκ ἔχοιμ' ἂν εἰκάσαι.* Non dispicere possum haec dona, nempe quo consilio missa fuerint vel quid Clytaemnestra iis mittendis spectaverit. Pro *τάδε* nonnulli *τόδε*, ibique comma ponunt, et post *δῶρα* comma delent. Robortellus habet *τόδε*, G *τάδε*, in M *τάδε* ex *τόδε* aut hoc ex illo factum esse dicit Hermannus.

519. *μείω.* M et G *μέσω.* Emendavit Turnebus.

520. Cf. 48 *τί γὰρ λύτρον πεσόντος αἵματος πέδῳ;* et Agam. 1018

τὸ δ' ἐπὶ γᾶν πεσὸν ἅπαξ
θανάσιμον προπάροιθ' ἀνδρὸς
μέλαν αἷμα τίς ἂν πάλιν
ἀγκαλέσαιτ' ἐπαείδων;

522. *θέλοντι δ'.* Scholiasta *ὁ δὲ ἀντὶ τοῦ γάρ.* Sed recte jam vidit Stanlejus, hoc scholion non huc pertinere, verum ad *μείω δ'.*

522. *ἐμοὶ.* In M et G *α* supra *ε* scriptum est, ut significaretur *οἶσθά μοι.*

523. *παρῇ.* Nonnulli *παρῆν.* Libri *πάρει.*

524. *πεπαλμένη.* Cf. 410.

528. *ποῖ.* Victorius aliique *πῇ.* Libri *ποῖ.* Wellauerus edere voluit *ποῖ*, ut ex ejus annotatione apparet, et tamen edidit *πῇ.*

529. *ὁρμῆσαι.* Ita Porsonus aliique: libri *ὁρμίσαι*, idque tuetur Hermannus, secundum Abreschium interpretans significatione quiescendi, collato Hesychio *ὅρμισον, ἀνάπαυσον, εἰς ὅρμον κάτελθε.* Wellauerus edidit quidem *ὁρμῆσαι*, sed vult esse a verbo *ὁρμέω*, non *ὅρμαω.* Verum nec *ὁρμίζω* nec *ὁρμέω* est commodum: manifesto motus draconis significatur: sic quoque convenit interrogatio 530, si Chorus jam motum aliquem et appetitum

significavit. In scholio pro *αὐτὸν ἐκτεῖναι* leg^ndum videtur *αὑτὸν ἐκτεῖναι*.

530. *τίνος*. In antiqnioribus editionibus scribebatur *τινὸς*, idque est, quantum scio, in libris, et versus erat Chori: tum Stanlejus versu sequente scripsit *καὐτῇ* pro *αὐτῇ*.

530. *νεογενὲς*. Libri *νεορενὲς*, quod Abreschius putavit per metathesin dictum fuisse pro *νεοερνές*.

531. *μαστὸν*. Emendatum pro librorum scriptura *μαζὸν*, quod Wellauerus et Klausenius retinuerunt: et *τὠνειράτι* pro *τ' ὀνείρατι*.

532. *οὖθαρ ἦν*. Optime emendatum: Turnebus *οὐκ ἄρ' ἦν*, libri *οὐ χάριν*, vel sine accentu, et in M *-ιν* factum ab alia manu ex *-ην*. Signum interrogandi post *πῶς*, in libris praetermissum, nonnulli etiam recepta hac emendatione praetermittunt. Pro *στυγὸς* sunt qui malint *στύγους*: fortasse vere. Cf. *στύγος* 991. Vide tamen ad 292, ubi ostendimus genitivum *λιβὸς* poni, et tamen alio loco *λίβη* a nominativo *λίβος*: ut non absurdum sit, existimare etiam *στυγὸς* genitivum et *στύγος* nominativum.

534. *ὄψανον*. Agnoscit vocem Hesychius, significatione *ὄψεως*. Recte comparat Blomfieldus *λείψανον*. In vocabulo *ἀνδρὸς* haeserunt interpretes. Scholiasta intelligi vult somnium ab Agamemnone missum, idque nonnulli probant: Blomfieldus tum requiri dicit articulum. Credo universe dictum esse pro homine, significatione collectiva: profecto mortalium somnia non vana sunt: ut tamen ad hoc Clytaemnestrae somnium respiciatur. Cf. 690.

535. *κέκραγεν*. Robortellus. In M et G *κέκλαγεν*.

536. *ἀνῇθον*. Recte Hermannus recepit hanc emendationem Valckenarii, qui, ad Herod. IV 145 eam con-

firmat Sophoclis loco, Aj. 285 ἡνίχ' ἕσπεροι λαμπτῆρες οὐκέτ' ᾖθον, et scholio ad nostrum locum ἀνέλαμψαν.

536. ἐκτυφλωθέντες σκότῳ. Copiose dictum, exstinctae.

238. κηδείους χοάς. Cf. 87.

539. ἄκος τομαῖον πημάτων. Recte scholiasta: θεράπευμα τμητικὸν τῶν κακῶν. Cf. Aesch. Supp. 268 τούτων ἄκη τομαῖα καὶ λυτήρια. Non bene scholiasta putat intelligi ποιεῖν: est appositio accusativi, qui in ἐλπίσασα rursus intelligitur ex praecedente χοάς.

541. τοῦτ'. Scholion, huic vocabulo appositum, αὐτὸ τὸ ὄνειρον, ad νιν in versum sequentem transferendum puto.

542. συγκόλλως. In M συσκόλλως. Scholiasta: συνημμένως τῇ ἀληθείᾳ. Potius existimo, significari aptitudinem ad preces eas, quas modo dixit, εἶναι ἐμοὶ τελεσφόρον.

543. ἐκλιπών. Libri ἐκλείπων.

544. In M οὔφεισεπασασπαργανηπλείζετο, in G et R eaedem literae, sed alia divisione et accentibus aliis. Turnebus: ὄφις τε πᾶσιν σπαργάνοις ὁπλίζετο, Stephanus ὡπλίζετο. Quod dedimus, debetur Porsono. Propius ad scripturae vestigia accedere videretur οὔφις τε παιδὸς κ.τ.λ. Verumtamen in Porsoni emendatione adhuc acquiesco: nam comparationem inter se et anguem diligenter persequitur Orestes, ventrem Clytaemnestrae appellans τὸν αὐτὸν χῶρον ἐμοί, et mox mammam ejus ἐμὸν θρεπτήριον: idcirco pronomen ἐμοῖσι hoc quoque loco perquam aptum est. De quantitate vocis ὄφις recte collatus est vs. 928. Klausenius acute quidem, nec tamen, ut videtur, satis commode edidit:

οὔφις ἐπ' ἀμὰ σπάργαν' ἠδ' ὅπλ' ἵζετο.

545. μαστὸν. Libri μασθὸν, R μαθὸν.

546. φίλον. Dubitavi, an scriptum foret usu epico pro ἐμὸν, quum, ut modo annotavimus, comparationem Orestes urgeat: quomodo 410 φίλον κέαρ: quod tamen durius mihi videtur, neque id fieri, nisi in iis rebus, quae reapse nostrae sint: quod de lacte matris dici non potest. Nec temere sic appellatum esse credo lac, quod soleat esse dulce infantibus. Estne acerbe dictum, ut oppositio sanguinis fiat clarior? an significat Orestes id lac, quod sibi aliquando dulce carumque fuisset? Non dirimo, sed posterior harum ratio mihi videtur verior.

547. ἀμφὶ τάρβει τῷδ'. In M ἀμφιταρβιτωδ', G et R similia.

548. ἔκπαγλον τέρας. Draconem, qui terrorem et lethale vulnus ipsi intulerit.

549. ἐκδρακοντωθεὶς. Minime hoc nunc pertinet eo, ut Orestes sibi aliquam nimiam crudelitatem belluae similem imputaret: verum se significatum esse illum draconem intelligit, qui e matre prodiisset illamque vulnerasset: se jam id munus suscipere et draconis partes velle sustinere affirmat.

550. κτενῶ. Turnebus. Libri κτείνω.

551. Apollinem, cujus statuam in scena positam esse dicit, Wellauerus compellari dicit: vide ejus notam ad 583. Nihil de ea statua comperi. Chorum Orestes alloquitur.

552. γένοιτο δ' οὕτως. Bene ominandi formulam esse observat Stanlejus, conferens Sept. c. Th. vs 526.

553. μὲν. Suasit Stanlejus: G δ' ἐντιποιεῖν, M δ' ἕν, retentum a quibusdam, etiam ab Hermanno: idem hunc versum transposuit post sequentem et Orestae tribuit.

554. στείχειν. Libri στίχειν.

556. κτείναντες. Sic R. M et G κτείναντας.

557. ἐν ταὐτῷ βρόχῳ. Pertinet ad θανόντες. Non autem haec sic enucleanda sunt, quasi debeant eadem veste dolosa capi: est fere explicatio doli, laqueusque dictus de insidiis non evitandis, vocabulum vero positum ad memoriam renovandam laquei, quo regem occiderant.

559. τὸ πρίν. Non recte scholiasta conjungit cum ἐφήμισεν: conjunctum est cum ἀψευδὴς: qui nondum fefellit.

561. ἐφ' ἑρκείους. M et G ἐφερκίους, retentum a Klausenio.

563. ἥσομεν. Turnebus. In M et G οἴσομεν.

563. Παρνησσίδα. Ita libri. Porsonus et Dindorfius Παρνησίδα: fortasse melius: in Eumen. vs. 11 libri habent sigma simplex.

565. καὶ δή. Recte Blomfieldus explicat: fac autem.

566. δέξαιτ'. Libri λέξαιτ'.

567. οὕτως. Fortasse legendum αὔτως: manebimus quasi quidam inopes. Nondum tamen mutandum puto.

568. δόμους. Libri δόμοις. Emendationem suasit Boissonadius. Aliter haec verba ponuntur Soph. Ant. 1255. Pro παραστείχοντα libri παταστίχοντα.

569. ἀπείργεται. Ita M et R: Aldina habet ἀπείργετε, G utrumque. Multi editores Aldinam secuti sunt, commate post ἀπείργετε posito et post Αἴγισθον deleto. Ceterum nec mediae hujus verbi formae aliud exemplum novi, nec dativi ei additi. Num forte πύλῃσι scriptum est significatione ἐν πύλῃσι?

571. βαλὸν. Ita M, Turnebus βηλὸν. Collatum est Lexicon rhetoricum in Bekkeri anecdotis p. 224, ubi

in voce βατήρ grammaticus docet βηλόν esse Homeri, βαλόν Tragicorum.

571. ἑρκείων. In M ἑρκίον, in aliis vel id, vel ἑρκεῖον. Cf. vs. 561 ἕρκειοι πύλαι, 653 θύρα ἑρκεία.

573. ἔπειτά. Conjecit aliquis ἐναντά. Verum ἔπειτα non cum μολὼν, sed cum ἀρεῖ conjungendum est: si veniet ad me et deinceps attollet.

574. ἀρεῖ. Libri ἐρεῖ. Est autem conjectura valde probabilis; oratio sic construenda: κατὰ στόμα μοι ἀρεῖ ὀφθαλμοὺς καὶ καταβαλεῖ ὀφθαλμούς. Neque putandum est, Aegisthum appellaturum fuisse Orestem priusquam eum adspiceret: nec appellationis tempus fore ipse Orestes dicit. Etiam ἐρεῖ non poni dicit Hermannus, nisi additur quid aliquis dicat.

575. ποδαπὸς. Utitur his verbis famulus 657.

576. ποδώκει. Affert Stanlejus Sept. c. Th. 623 ποδῶκες ὄμμα.

577. ὑπεσπανισμένη. Forte legendum ὑπεσπανισμένην. Certe, si ὑπεσπανισμένη retinendum est, non est absolute positum, et ad priorem caedem referendum, sed cum πίεται conjungendum.

578. τρίτην. Recte monent, significari Clytaemnestrae caedem, post Agamemnonis et Aegisthi mortem tertiam futuram. Verum, si Theophrasti et Philochori loca apud Athenaeum L. XV c. 48, p. 693, comparata cum Antiphanis aliorumque locis c. 47, recte intelligo, in conviviis post cibos merum afferri solebat, idque modice gustabatur, et in tertio haustu eoque postremo τὸν ἀγαθὸν δαίμονα, bonum Deum vel genium, vel Δία σωτῆρα, Jovem servatorem, vel Ὑγιείαν, Sanitatem, vel Τύχην ἀγαθὴν, Fortunam prosperam, invocabant: postea jam

vino non mero sed temperato utebantur. Eo respicere credo Orestem: tertium ille meri sanguinis haustum Erinnyi tribuere vult, quasi suo jam genio, neque illum modicum, quomodo in conviviis bono Deo facere solebant, sed copiosum, *οὐχ ὑπεσπανισμένῃ φόνου.* Respondet hic vindictae spiritus sceleri: nam duos ictus intulit Clytaemnestra Agamemnoni: quibus ille cecidit: tum vero, ut ipsa vociferatur, Agam. 1385

πεπτωκότι
τρίτην ἐπενδίδωμι, τοῦ κατὰ χθονὸς
Ἅιδου νεκρῶν σωτῆρος εὐκταίαν χάριν.

Mortuo praeterea tertium ictum intuli, adorandi gratia Plutonem, qui in inferis mortuorum servator est. Ubi *Ἅιδης σωτὴρ* appellatur alludendo ad Jovem servatorem. Etiam Plato, Phileb. 66 B *τὸ τρίτον τῷ σωτῆρι.* Cf. Blomf. ad h. l. et ad Agam. 245 et 1385.

579. *νῦν οὖν.* M *σὺν οὖν*, reliqui libri *σὺ οὖν.*

582. Cf. Sept. c. Th. 619 et Aeschyli fragm. apud Hermannum 221, apud Dindorfium 188.

583. *τούτῳ δεῦρ'.* Significari Pyladem facile intelligitur. Apollinem quidem sine causa signifari credit Wellauerus. Quamquam verbum *λέγω* tam convenit precibus quam imperantis consilio. Utitur quidem eo verbo Electra in precibus 143 et 146, et Orestes 456: idem ponitur in imperando 274, 553. Quodsi vero h. l. et 551 Apollo praesens compellaretur, non sane sic nude id fieret, et magis etiam illa praesentia significata fuisset 269. Verum *δεῦρο* aliquam habet difficultatem: neque enim ad tumulum, ubi adhuc erant, res perficienda erat. Credo, Orestem, haec postrema loquentem, jam abituro se gessisse similem, motuque indicasse, *δεῦρο*

significari ea loca, quo jam ad pugnam profecturus erat. Quod in interpretatione Latina exprimere studui.

584. ὀρθώσαντι. Ut mihi in proeliis adjutor sit. Stanlejus dubitat, an legendum sit ὀρθώσοντι. Verum conjungitur aoristus participii cum aoristo infinitivi, quasi scriptum esset ἐποπτεῦσαι καὶ ὀρθῶσαι.

585. Jam constituto proposito et rei perficiendae consilio Electra abiit domum, et Orestes cum Pylade ad rem parandam profecti sunt: Chorus remanens, ut videtur, ad tumulum, solus carmen canit: gravissimum illud et sententiosum. Quumque primum suum carmen, vs. 22, in luctu fletuque posuisset, eademque sententia mox, 152, paeanem mortuo tribuisset: postea vero, 306 seqq. ita amorem suum aperuisset, ut is partim ad consolationem, partim ad anxietatem, partim vero ad doloris communionem precandique societatem pertinuisset: jam hoc carmine et magnitudinem sceleris et instantis supplicii gravitatem ita canit, ut ea quasi in exemplum humani generis proponat vaticinans. Atque venturam poenam jam memoravit 61, 310, 464. Electra vero in scenam non redit: neque id eam decebat, illo animo, quem ei tribuit Aeschylus. Odio quidem eoque justo matrem habebat: 241: verumtamen quae fuit dubitatio ejus, an liceret quidem malefico referre mala? 122. Cf. annotatio ad 103. Animo tam puellari non conveniebat in ipsa caede interesse. Conf. P. van Limburg Brouwer, Proeve over Eschylus, p. 136.

585. γᾶ. In libris γὰρ, Turnebus γ' ἀὴρ, petitum e scholio: πολλὰ τίκτει ὁ ἀὴρ ἐκ τῆς ἡλιακῆς ἀκτῖνος πτηνὰ καὶ ἑρπετά. εἰσὶ γὰρ ὄφεις ἐξ ἀέρος πίπτοντες. Verum id scholion mihi non ad hunc versum pertinere

videtur, sed ad 591: nam πτηνὰ καὶ ἑρπετὰ est explicatio vocabulorum πτηνά τε καὶ πεδοβάμονα: illa vocabula scholiasta ita conjunxit cum proxime antecedentibus, ut penderent a verbo βλαστοῦσι, quod explicat per τίκτει: nominativus ἀὴρ interpretationem continet vocabuli πεδαίχμιοι.

586. καὶ. A plerisque deletur metri causa, ut hic versus et 595 inter se conveniant.

587. ἀγκάλαι. Loca concava et sinuosa. Affert Stanlejus Eurip. Or. 1363.

589. βλαστοῦσι. Immerito ab Hermanno deletum est: plura mutante. Nec bene a Blomfieldo secundum Butlerum mutatum in βλάπτουσι. Etiam manifesto in scholio agnosci ostendimus ad 585. Imo ad idem verbum pertinere et incommode ad πλάθουσι positum esse credo scholion γεννῶσι καὶ αὔξουσι. Verum habendum est contra scholiastae sententiam verbum h. l. intransitivum.

590. πεδάοροι. Libri πεδάμαροι, pro πεδάμεροι, idque in scholio explicatur καθημεριναί: verum altera annotatio quum esset οἶμαι πέδουροι, ἵν' ᾖ τὸ σημαινόμενον μετέωροι, quumque Hesychius haberet πέδουρος μετέωρος, recte Stanlejus conjecit πεδάοροι. Significantur autem λαμπάδες πεδάοροι fulmina.

592. Klausenius edidit πεδοβάμον' ἀπ' ἀνεμοέντων, conjectura non idonea. Masculinam formam vocabulo αἰγίδων adjunctam non suspectam esse dicit Hermannus: vellem causam addidisset. Si mutarem, sequerer potissimum Blomfieldi conjecturam: κἀνεμόεντ' ἂν — φράσαις. Φράσαι agnoscitur a scholiasta, pro imperativo habitum: sed est optativus.

593. φράσαι. Respondet ita sequenti verbo λέγοι,

ut ex pronomine interrogativo intelligatur persona universa, quasi φράσαι τις.

595. ἀνδρὸς. Non credo sexum significari, ut opponatur mox γυναικῶν, sed genus humanum, in quo deinceps muliebris audacia maxime significetur: praeponitur genus universum, tum describitur, quod in eo genere reliquis est audacius. Cf. annotatio ad 534. Poetam, si sexum significare voluisset, scripturum fuisse ἄρσενος, affirmare non ausim: fit quidem in distinctione ita Choë. 502, Agam. 861 γυναῖκα ἄρσενος δίχα, et Agam. 1231 θῆλυς, ἄρσενος φονεύς. Verum etiam ἀνὴρ opponitur γυναικὶ Choë. 664, et 920 in sententia, plane conveniente cum Agam. 861. Sed totius hujus carminis sententiae magis convenire videtur id, quod proposui.

596. φρεσὶν. Sic R. M et G φρεσσὶν.

597. Klausenius delet καὶ, et post παντόλμους in hoc versu ponit ἔρωτας, idque versu sequente repetit: conjectura et ad metrum et ad sententiam apta. Nondum tamen muto. Pro παντόλμους in G est παντόλμοις.

598. συννόμους. Apud Sophoclem Electra Aegisthum appellat matris σύννομον, El. 600. Βροτῶν pendet ab ἔρωτας, non ab ἄταισι.

599. Pro θ' M et G habent δ', R τ'.

602. Genitivus est partitive junctus verbo παρανικᾷ: praestat amor ille inter belluas hominesque, vi sua et vehementia: praepositio παρα verbo addere videtur significationem deterioris victoriae et praestantiae non laudandae. Conjeci aliquando pro παρανικᾷ legendum esse πέραν ἵκει: amor, mulierum qui pellit animos, ultra belluas hominesque procedit: scripturae sane mutatione facili, et sententia apprime idonea: verum quum πέραν

syllabam posteriorem habeat longam, versus sic discrepet a strophico. Et, ut ante dixi, mihi audaciorem videri eorum rationem, qui, ut metra constituant, emendationes saepe non satis certas inferunt, tamen ipse nolim inferre emendationes, quae metra turbare videantur, praesertim ubi librorum scriptura explicationem admittit.

603. ὅστις δαεὶς. Constructio hujusmodi cum participio sine copula etiam est Pind. Ol. II 102 εἰ δέ μιν ἔχων τις, et Soph. Ant. 209 ὅστις εὔνους.

603. ὑποπτέροις. Ita Turnebus: libri ὑπόπτερος. In scholiis utrumque agnoscitur.

603. Hanc superantem omnia muliebris animi impotentiam intelligat is, qui mente acriore et profundiore percepit exemplum Althaeae, filiae Thestii: cui quum Parcae titionem ostendissent, aequalem futurum nato recens Meleagro filio, eum illa servavit sepositum: donec in venatione per rixam Meleager fratres Althaeae interfecit: quo facto illa irata titionem combussit et filio causa mortis fuit. Vide Apollod. I 8, Diod. Sic. IV p. 167 d, Ovid. Metam. VIII 451: quae loca attulere Blomfieldus et Schuetzius. Transit postea Chorus ad exemplum Scyllae, 613, tum ad Clytaemnestrae 623, porro ad Lemnias 631.

607. πρόνοιαν. Quippe intelligebat, combusto titione illico Meleagrum moriturum.

608. καταίθουσα. In G καἴθουσα, in M κ' αἴθουσα, quod nonnullis visum est ἡ αἴθουσα. Ex quo intelligitur, quam sint η et κ in illo libro inter se similia: cf. annotatio ad ἄηται 392. R idem quod M. καταίθουσα debetur Cantero: Weigelius κάουσα.

608. δαφοινόν. Non de rutilo colore dici h. l. videtur, sed significari titio cruentus, i. e. mortiferus: quia combustus mortem attulit.

609. ἥλικ'. Construe: παιδὸς ἥλικ', ἐπεὶ, aequalem filii, ex eo tempore quo; aeque diu duraturum ac vitam filii inde a natali tempore.

611. διά. Alii διαὶ, quod Cantero Hermannus tribuit: quamquam in Canteri editione est διά.

612. μοιρόκραντον. Im M μοιροκραντοσδ, ν supra σ scripto manu alia: in G etiam magis corrupta scriptura, R μοιρόκρατον δ'. Emendavit Canterus.

613. ἄλλαν δεῖ. Libri ἀλλὰ δή: posterius emendatum est a Turnebo, prius a Schuetzio. Hermannus ἄλλαν δ' ἔστιν ἐν λόγοις.

613. τιν'. Pro ἡμᾶς.

614. Σκύλλαν. Nota est fabula de aureo crine, quem vitae regnoque aequalem in capite Nisi regis Megarensis conspicuum filia ejus Scylla abscidit, a Minoe, Megara obsidente, auro perducta, vel, ut alii tradunt, ejus amore capta: ac de acerba poena, quam ipse ei Minos inflixit.

615. ὑπαί. Fere recepta est Porsoni emendatio ὕπερ, hostium gratia. Conjungo ἐχθρῶν ὑπαὶ cum ὤλεσεν, ut significentur hostes illam commovisse itaque facinoris auctores fuisse. Non prorsus convenit exemplum apud Homerum, Il. P 616

αὐτὸς δ' ὤλεσε θυμὸν ὑφ' Ἕκτορος·

nam ibi ὤλεσε θυμὸν habet moriendi, ergo passivam significationem: tamen constructio magnam habet cum hoc loco similitudinem. Cf. Plato, Phaedo 66 d ὥστε μὴ δύνασθαι ὑπ' αὐτοῦ καθορᾶν τἀληθές.

616. φῶτα φίλον. Cf. annotatio ad 234.

618. πιθήσασα. Libri πειθήσασα: emendavit Abreschius. Weigelius secundum Heathium πεισθεῖσα.

620. Libri, praeter R νοσφίσ', et plerique editores νοσφίσασ' ἀπροβούλως, idque agnoscitur a scholiasta, interpretante, illam non praevidisse poenam. Sequor emendationem Porsoni: nam προβούλως convenit magnopere ad significandam malefaciendi voluntatem, et simile est προνοίᾳ, quae 607 tribuitur Althaeae.

621. πνέονθ'. Libri. Heathius πνείονθ'. Gravius spirantem, ut in somno fit. Cf. Hom. Il. K 496, ubi Diomedes Rhesum dormientem interficit

ἀσθμαίνοντα· κακὸν γὰρ ὄναρ κεφαλῆφιν ἐπέστη.

Atque ipso verbo ἀσθμαίνοντα h. l. scholiasta in explicando πνέοντα utitur.

622. Quae esset mentio de Mercurio, quaesitum est, quum alii crederent, significari eum, qui mortuos deduceret: nunc ergo venisse Scyllam correpturum ac deducturum: idque scholiasta sentiens simpliciter explicat θάνατος: alii deum lucri, et Scyllam persecutum esse, quia illa lucro ad scelus perducta fuisset, ut ergo malum lucrum illa invenisset: verum potius existimo, Mercurium habuisse, quum praeesset inferis, etiam ulciscendi eos curam: quomodo initio tragoediae invocatur, idemque 727: ergo venisse eum ultorem Nisi.

623. ἐπεμνησάμην. Ita Heathius. M et G ἐπεμνήσαμεν, sed in M α supra η scriptum est, R ἐμνήσαμεν. Porsonus aliique ἐπεμνήσαμεσθ'.

627. In M hic versus in margine scriptus est, in G insertus, in R et antiquissimis editionibus praetermissus.

628. δηΐοις. Sic libri. Porsonus δῄοισιν, Dindorfius δᾴοις.

628. ἐπικότῳ. Sic R. In M sine jota subscripto, et antea fuerat ἐπὶ κότω: in G ἐπὶ κότῳ.

629. λίαν δ'. Sic legendum esse ipse conjeci. De mutatione α et ω vide annotata ad 474. Libri τίων δ', Turnebus τοιῶνδ'. Plerique editores receperunt Stanleji conjecturam τίω δ'.

629. ἀθέρμαντον. Scholion ἀθράσυντον certe transpositum est, et pertinuit ad ἄτολμον.

Loci hujus difficilis haec esse videtur mihi constructio et sententia: ut σέβας sit σέβας ἐστί μοι, et accusativi γαμήλευμα, μήτιδας, ἑστίαν, αἰχμὰν, pendeant ab intellecto ex ἐπεμνησάμην infinitivo ἐπιμνήσασθαι, qui conjungendus est cum σέβας ἐστί μοι. Nam verbum illud et genitivum et accusativum habet, prius genitivum πόνων, nunc accusativos quos dixi: et uno eodemque loco hi casus promiscue etiam ponuntur apud Herodotum VI 136: τῆς μάχης τε τῆς ἐν Μαραθῶνι πολλὰ ἐπιμεμνημένοι καὶ τὴν Λήμνου αἵρεσιν. Atque ipsum σέβας non tantum de reverentia et pudore, quomodo 243, verum etiam de horrore et metu dici, apparere videtur 637, ubi σέβειν est abstinere, metuere, vitare. Neque aliena significatio est apud Homerum, Il. Σ 178

σέβας δέ σε θυμὸν ἱκέσθω,
Πάτροκλον Τρωῇσι κυσὶν μέλπηθρα γενέσθαι.

'Αθέρμαντος ἑστία, cui maxime convenire videtur λίαν, quod edendum putavi, pertinet ad interitum Agamemnonis, ei domi paratum, quem ille pro domestici foci fomento invenisset: interdum hujusmodi oratio, qua non exponitur tota alicujus rei foeditas, sed ea magis occulte

10

et quasi per contrarii negationem indicatur, non ad euphemismum sed ad horrorem potius pertinet. Non dissimile est in hoc genere vocabulum *ἀμείλιχος*, quo in hac ipsa sententia Chorus utitur: et *παράμουσος*, quod ponitur 467: vide etiam quae annotavi ad 448. Tandem postremus accusativus *γυναικείαν ἄτολμον αἰχμὰν* quasi per appositionem complectitur superiora, *γαμήλευμα, μήτιδας, ἑστίαν*: eaque femineae hastae memoratio pertinet ad indignationem cumulandam, quod ea vir fortis occubuisset. Est igitur sententia hujusmodi: Quandoquidem commemorare institui crudelia facinora, qualia Althaeae Scyllaeque fuerunt: oportet sane etiam commemorare Clytaemnestrae et Aegisthi connubium, dignum odio, nec optabile domui, structasque feminea mente insidias forti viro Agamemnoni, qui multas hostibus clades, multis interitum intulerat, quoque modo ille domum receptus sit amore nullo: quae sunt perfecta imbelli hasta feminea: haec memorare oportet, verum si intempestiva esset ea memoria, illam vitarem et ab ea propter injucunditatem abstinerem. Neque *σέβας ἐπιμνήσασθαι* non convenit cum praecedentibus: quum jam dixerit, in sermone oportere odisse Scyllam: ut eam quoque haud lubenter sed quasi invitus commemoraverit.

631. *τὸ Λήμνιον.* Caedes maritorum patrumque a Lemniis mulieribus facta, et mos Graecorum, quo scelerata facinora appellarunt Lemnia, satis nota sunt. Pind. Py. IV 448 *Λαμνιᾶν τ' ἔθνει γυναικῶν ἀνδροφόνων.* Herod. VI 138 *νενόμισται ἀνὰ τὴν Ἑλλάδα τὰ σχέτλια ἔργα πάντα Λήμνια καλέεσθαι.*

632. *δήποθεν.* M *δὴ ποθεὶ*, G et R *δήποθ'* et *ει* conjungunt cum sequente vocabulo. Turnebus *δήπουθεν.* Wel-

lauerus aliique δήποθεν: idque retineo, ut propius accedens ad scripturam et metro magis conveniens quam quod dedit Turnebus: verum significatio h. l. non esse potest undecunque, sed eadem fere esse videtur, quae solet esse particulae δήπου vel δήπουθεν. Hesychius: δήποθεν λέξις συναπτικὴ ὡς καὶ τὸ δήπου. Hermannus edidit γοᾶται δὲ γᾶ πάθος: nimis audacter, ut multa.

633. εἴκασεν. R. In M et G ἤκασεν. Ahrensius pro τις dedit τίς, signo interrogandi post πήμασιν posito.

634. αὖ. Sic libri. Commode Portus et Stanlejus conjecerunt ἄν, ut fere ad recipiendam eam mutationem adductus fuerim: verumtamen non necesse est.

635. ἄχει. Non male Auratus conjecit ἄγει.

636. βροτῶν. Scholiasta intelligit Lemnias. Est vero universa sententia.

637. σέβει. Ahrensius interpretatur: colit: verum sic sententiam non intelligo. Credo esse: metuit, i. e. vitat et ab eo abstinet.

638. ἐνδίκως. Opponitur adverbio ἀκαίρως 624. Intempestivam memoriam vitare oportuerat: verum in tanta mortalium pravitate justam feci scelerum mentionem: quum etiam justum supplicium instet.

639. πλευμόνων. Sic M et G: πνευμόνων R.

640. διανταίαν. Cf. 184 διανταίῳ βέλει. Blomfieldus intelligit πληγήν. Est ea ratio Agam. 1386 τρίτην ἐπενδίδωμι: verum id verbum eum casum postulabat, et praecessit παίω. Hujus loci alia ratio est, nam σοῦται, ruit, ejusmodi accusativum non adsciscit, quantum scio. Intelligo potius ὁδόν.

640. σοῦται. Sic libri: eaque scriptura in scholiis agnoscitur, et explicatur ὁρμᾷ. Hermannus et alii eum

secuti ediderunt οὐτᾷ, sensu minime meliore: frustra autem Hermannus ejus mutationis praesidium quaerit in scholio ad 638, νύσσει γάρ με τὸ δίκαιον ταῦτα λέγειν, quod nihil continet praeter explicationem ipsorum illorum verborum τί τῶνδ' οὐκ ἐνδίκως ἀγείρω: stimulat me justitia ad haec dicenda.

642. οὐ ejecit Klausenius, non recte.

643. πέδον. Adverbialiter positum: recte Blomfieldus dicit significari κατὰ πέδον, collato Agam. 1357 et Eumen. 110. Dindorfius et Hermannus scribendum putant πέδοι. Recte etiam sententiam Blomfieldus explicat: οὐκ ἠμέληται ὑπὸ τῆς Δίκης: est enim hoc dictum, quod vetet fieri Justitia, id non temere, quasi sit leve et parvum, nec impune calcari pedibus.

645. παρεκβάντες. Non video aliam explicationem, nisi participium scriptum esse pro indicativo, quod etiam scholiasta voluit. Alii Stanleji conjecturam receperunt παρεκβάντος.

645. οὐ θεμιστῶς. In M οὐθεμίστως, in reliquis libris et antiquis editionibus ἀθεμίστως.

646. ἐρείδεται. Scholiasta καταβάλλεται, quod significat, nisi fallor, concutitur ut cadat. Quomodo si accipias, pertinent haec ad praecedentem malitiae commemorationem. Credo significari firmamentum, et ad sequentem vindictae commemorationem haec pertinere.

647. προχαλκεύει. Emendatio Hermanni, ab editoribus, quantum scio, recepta: libri προσχαλκεύει. Comparat Blomfieldus Soph. Aj. 1034

ἆρ' οὐκ Ἐρινὺς τοῦτ' ἐχάλκευσε ξίφος,

et Horat. L. IV Od. XV 19 Ira, quae procudit enses.

649. δώμασιν αἱμάτων, In M διμασε δωμάτων, in

G idem, sed δίμασε; Robortellus pro eo δόμασι, alterum idem. Scholiasta: ἐπεισφέρει δὲ τοῖς οἴκοις τέκνον παλαιῶν αἱμάτων, ὅ ἐστι, τίκτει ὁ φόνος ἄλλον φόνον. Ex eo scholio nata est emendatio, quam recepi, eique explicationi assentior. Alii aliter mutant: verum si metra reficere velint, hoc quoque loco plura rursus mutanda sunt quam mihi placet. Conferatur ad h. l. 400

φονίας σταγόνας
χυμένας ἐς πέδον ἄλλο προσαιτεῖν
αἷμα· βοᾷ γὰρ λοιγὸν Ἐρινύς.

651. τίνει. Sic recte Turnebus. Libri τείνει. Wellauerus de Lachmanni conjectura τίνειν, interpunctione deleta post παλαιτέρων, et pro αἱμάτων retinet δωμάτων, hac sententia: filium Erinnys immittit domui, ut piaculum pristinae domus rependat. Et τέκνον quidem ad Orestem pertinere etiam Stanlejus putavit. Verum ea mihi ratio non placet.

652. βυσσόφρων. Profundo pectore, quo reconditur ira, donec erumpat suo tempore.

654. τὶς. Ita R. In M et G τίς.

655. ἐκπέρχμα καλῶ. Recte scholiasta ἐκπερᾶσαι τινὰ καλῶ.

656. Ita, ut edidi, hic versus scriptus est in libris, nisi quod in M διαι sine accentu. Turnebus εἴπερ φιλόξενός ἐστιν Αἰγίσθου βία, Porsonus εἴπερ φιλοξένη 'στιν Αἰγίσθου βία. Rursus aliter alii: Hermannus, καλῶ, εἴπερ φιλόξεν' ἐστὶν, Αἰγίσθου βίαν. Quod Klausenius et Ahrensius dederunt βίᾳ, idcirco videtur repudiandum, quia ille dativus significaret Aegistho invito, aut Aegistho vim afferente.

656. Αἰγίσθου δίαι. Similiter 641 διαὶ Δίκας.

657. *εἶεν.* Spondeum esse observat Dindorfius, idemque apud Aristophanem fieri, Pac. 663, ubi tamen alii legunt *εἶεν γ' ἀκούω.*

657. *πόθεν.* Possit videri bis idem rogare, *ποδαπὸς* et *πόθεν*: verum posterius credo signicare locum, unde nunc cum maxime veniret.

661. *ὥρα.* Sic R. In M et G *ὧραι.*

664. *τελεσφόρος.* Klausenius cum *ἐξελθέτω* conjungendum putat: exeat, ut res nunc agendas mecum peragat. Neque id male: credo tamen cum *γυνὴ* conjungendum esse, et quaeri mulierem dominam eandemque reginam: prius est *τελεσφόρος*, posterius *τόπαρχος.*

664. *τόπαρχος.* Sic G. In M *ταπαρχος*, scripto *ό* supra prius *α.* R *τἄπαρχος.* Hermannus *στέγαρχος*, sensu non malo. Aliquando cogitavi de *τόπαρχον ἄνδρα*, verum nunc id non probo. Ceterum attende, prius postulasse Orestem ut mulier prodiret, tum vero contra maluisse ut virum venientem videret. Quippe constituerat prius Aegisthum interficere: vide 575: ad hanc caedem prorsus paratus erat. Cf. quae annotabimus ad 973.

664. *δ'.* Turn. In libris *τ'.*

665. *οὐκ.* Scholiasta hoc adverbium abundare dicit: Dindorfius de Wellaueri conjectura vel Bothii dedit *οὖσ'.* Sed recte explicatum est a Stanlejo, tum, quum vir cum viro colloquatur, non obesse pudorem perspicuitati sermonis.

670. Non temere haec balnearum ceterique hospitii benigna oratio tribuitur Clytaemnestrae, sed renovatur memoria simulatae gratiae, qua Agamemnonem exceperat: merito ea hospitii beneficia appellantur *δόμοισι τοῖσδ' ἐπεικότα*: eodemque respicit mox Orestes 703.

670. *θελκτήρια.* Est ipsum substantivum, non adjective conjunctum cum *λουτρά.* Est autem ita in libris: alii ediderunt *θελκτηρία*, conjungentes cum *στρωμνή.*

671. *δικαίων.* Solemnis est haec vox in hospitii liberalitate significanda: Pind. Ol. II 11 *δίκαιον ξένον.*

675. *αὐτόφορτον.* Cf. 163.

675. *οἰκείᾳ σάγῃ.* Sic Turnebus. In libris *οἰκίαις ἄγῃ.*

676. *ὥσπερ.* Sententia interposita: quum proficiscerer Argos, ut nunc quidem perfecto itinere huc perveni.

678. *ἐξιστορήσας καὶ σαφηνίσας.* Acute quidem Klausenius illos inter se de itinere sciscitatos esse dicit, et Strophium ab Oreste quaesivisse, quo tenderet, narrantem, quo ipse iret. Verum id non convenire videtur verbo *σαφηνίζειν*, quae habet commonstrandi significationem, ut credendum sit, Strophium Orestem interrogasse, quo proficisceretur, et, accepto eo, eum de via, qua pergendum foret, edocuisse.

680. *ἄλλως.* Tamen, etiam sine mandato meo.

684. *εἰς τὸ πᾶν.* Eumen. 670

εἰς τὸ πᾶν χρόνου.

685. *χαλκέου.* Soph. El. 54

τύπωμα χαλκόπλευρον.

685. *κεκλαυμένου.* Stanlejus cogitavit de *κεκαυμένου.*

689. *κυρίοισι.* Cf. 658.

690. *τὸν τεκόντα.* Argutius aliquis putavit, in hac appellatione Orestem voluisse simulare, se nescire mortem Agamemnonis. Recte monet Klausenius, esse communiter positum de parente, ut modo manifesto ad mulierem loquens dixit genere masculino *τοῖς κυρίοισι καὶ προσήκουσιν.*

691. In M et G tantum lineola huic versui praefixa

est, Robortellus eum ministrae tribuit, praeponens θερ., certe feminam fuisse intellexit e vs. 695 τὴν πανάθλιαν: Electrae Turnebus, Portus Clytaemnestrae, Wellauerus uni e Choro tribuendum putat. Mihi vero multum cogitanti convenire haec oratio videtur unice Clytaemnestrae animo, audaci, subdolo, cujuslibet rei simulatori ac dissimulatori: quae immoderatae specie laetitiae et amoris per strata purpurea maritum perduxit ad necem manu nefaria: qua peracta gloriata et gavisa est sanguinis respersione velut terra pluviae gaudet foecunditate. Cf. Agam. 1390. Hanc rursus aperit impudentiam vel si quid majus impudentia est, conquerens diras, quas ipsa domui intulerat: flens Orestem, quod quum in tuto loco extra patriam esse videretur, occubuisset, quem ipsa ejecerat domo et patria: deplorans amicorum interitum, quum mox gloriatura sit, se non carere amicis, et cum amicissimo adultero gaudia, quae nunc nimirum ad tristitiam pertinere clamat, communicatura. Cf. 716.

691. οἲ ἐγὼ. Sic Turnebus: libri οἴ ἐγὼ. Canterus et multi eum secuti οἲ 'γὼ.

691. εἶπας. In M et G ἐνπᾶσ', R ἐν πᾶσ'. Turnebus ἐνθάδ', Klausenius ἔμπαν, Hermannus delet ὡς et scribit ἐκπαθῶς, alius ἐμφανῶς. Quod dedi, habet Dindorfius.

696. εὐβόλως. Libri εὐβούλως, idque etiam agnoscit scholiasta. Emendavit Porsonus.

697. κομίζων. Sic Robortellus et Turnebus, idque in scholio agnoscitur: M et G νομίζων.

698. νῦν δ' ἥπερ. Sic Turnebus: libri νῦν δήπερ.

699. πραθεῖσαν ἔγγραφε. Libri παροῦσαν ἐγγράφει. Si ea scriptura retinenda est, in παροῦσαν intelligo σε,

i. e. ἀρὰν, et sententiam hanc esse credo: Orestes, qui extra pericula, extra diras hujus domus erat, in quo domui nostrae dirarum remedium et laetitiae spem reponebamus, vos, quippe diras nostrae domus, praesentes adscribit, i. e. vestram praesentiam sentit, vos, quamquam a domo remotus, effugere non potuit. Verum ea tamen explicatio mihi non videtur commoda. Nec scripturae librorum convenit scholion: τάξον ἀφανισθεῖσαν ἀρᾷ, ὡς πρὸς τὸ ἐλπίς δ' ἀπέδωκεν. Primum cernimus e τάξον, scholiastam legisse imperativum: et novi quidem, disputari de forma γραφέω, an sit Attica, verum, quum tamen scriptura mutanda videatur, nolim tam incertam formam retinere, et scribo ἔγγραφε. Tum in ἀφανισθεῖσαν non potest explicatio inveniri participii παροῦσαν: conjeci legendum esse πραθεῖσαν, cujus participii significatio convenit cum ἀφανισθεῖσαν. Verbi πέρθω formam ἔπραθον novit unusquisque: passivae ἐπράθην non novi exemplum: quum sit convenienter formata, loco sanando, quem paene desperatum dixeris, eam adhibere ausus sum. Scholiastae verba ὡς πρὸς τὸ ἐλπίς δ' ἀπέδωκεν ita interpretor, primum, ut, brevius superiorem sententiam repetens, conjunctionem δ' ex initio νῦν δ' ἥπερ ad ἐλπὶς retraxerit; tum ut in postremis πραθεῖσαν ἔγγραφε apodosin esse voluerit superiorum νῦν δ' ἥπερ — ἐλπίς. Ἥπερ ἐλπὶς esse appositionem praecedentis Ὀρέστης in aperto est. Genitivus βακχείας καλῆς non pendet ab ἰατρὸς, sed ab ἐλπὶς: spes laetitiae, quae spes medebatur domui. Illam laetitiam sunt qui Electrae significari putent: quod non ita est: cumulat simulationem impia mulier, spemque domus et suam se in Oreste reposuisse clamat.

704. δ'. In libris deest, sed recte insertum.

705. *φίλοις*. Cognatis Orestae. Cf. 234

706. Quum promiserim Strophio et ab illo conciliatus sim hospitio vestro. Id enim videtur esse *καταξενοῦν*, facere aliquem hospitem alicui.

707. *ἀξίως*. Sic libri. Recte hanc scripturam tuetur Klausenius, comparans 213 *τυγχάνειν καλῶς*. Multi receperunt conjecturam Pauwii *ἀξίων*, minime quidem malam, eaque firmari posse videtur scholio *τῶν σοι ἀξίων τιμῶν*.

707. Satis cito a magna tristitia ita quidem Clytaemnestra ad sanitatem redit, ut nuncio non imputet cladem.

711. *μακρᾶς κελεύθου*. Conjungit Abreschius cum *πρόσφορα*, collato Eurip. Hel. 509 *τὰ πρόσφορα τῆς νῦν παρούσης συμφορᾶς*, idque sequimur. Alii conjungunt cum *ἡμερεύσαντας*.

713. *ὀπισθόπους*. Hunc pluralem accusativum esse nonnulli negant, eum esse affirmantes *ὀπισθόποδας*: esse h. l. nominativum singularem. Verum est accusativus pluralis: similem Athenaeus L VII 100 affert ex Aristophane

καὶ ταῦτ' ἔχοντα πουλύπους καὶ σηπίας.

Alius mutavit *ὀπισθόπουν δὲ τοῦδε καὶ ξυνέμπορον*, Pyladem significari existimans. Et nos Pyladem significari credimus: verum comitatus nomine pluralis positus est, quum unus significetur. Cujus generis multa exempla sunt: 287 *προστροπαίων*, 689 *τοῖς κυρίοισι καὶ προσήκουσιν*, 716 *τοῖς κρατοῦσι*.

714. *δώμασιν*. Haud inepte aliquis conjecit *σώμασιν*. Tamen librorum scripturam retineo: cf. 669 *δόμοισι τοῖσδ' ἐπεικότα*.

715. *ὑπευθύνῳ*. In M *ἐπευθύνωι*, in G *ἐπ' εὐθύνῳ*. Emendavit Turnebus, et in scholiis est *ὡς δώσοντι δίκην* et *ὑποδίκῳ*.

716. Jam, quae modo amissionem amicorum deploraverat, in Aegisthi amore gloriatur nec se amicis carere gaudet. Vociferatur autem haec post Orestae abitum.

717. *βουλευσόμεσθα.* Pridem emendatum pro librorum scriptura *βουλευόμεθα.* *Συμφορὰ* h. l. non malam significationem habet: interdum bonam, ut 1064.

719. *φίλιαι.* Sic Heathius. Turnebus *φίλαι.* M *φιλίαι*, quod legendum est *φιλίᾳ*: cf. 715 et quae annotavi ad 492: G *φιλία*, idemque R, sed cum praecedentibus conjunctum hoc modo: *εἰ ἐνφιλία.* Klausenius *φιλίᾳ.*

721. *ἐπ'.* In votis pro Oreste faciendis. Cf. Aesch. Sup. 625

λέξωμεν ἐπ' Ἀργείοις
εὐχὰς ἀγαθάς.

722. *χθών.* Possis intelligere patriam, ut 540: sed praestat ipsam Terram intelligere, ut 127 *γαῖαν αὐτὴν*, et Pers. 629

Γῆ τε καὶ Ἑρμῆ.

726. *Πειθώ.* Suadam, h. l. quae hostes a periculi cautione avertat, quum caedes dolo perficienda esset: cf. 556.

726. *δολίαν.* Libri *δολία.* Non dubitavi hanc mutationem recipere: nonnulli tuentur scripturam librorum, sed non vidi commodam interpretationem.

727. *ξυγκαταβῆναι.* Una cum Oreste descendere ad certamen. Suidas: *καταβαίνειν τὸ εἰς ἀγῶνα χωρεῖν.* Cf. Xenoph. Anab. L. IV C. VIII 27, Plato de leg. VIII 834 C.

727. *χθόνιον δ' Ἑρμῆν καὶ τὸν νύχιον.* Recte Hermannus confert Soph. Oed. Col. 1558 *ἐννυχίων ἄναξ Ἀιδωνεῦ*, et Trach. 501 *τὸν ἔννυχον Ἅιδαν*: certe Mercurius infernus est idem qui nocturnus, epithetis inter

se similibus. Verum ideo Hermannus alterum epitheton putat esse glossema, et scribendum νύχιόν θ' Ἑρμῆν τοῖσδ' ἐφοδεῦσαι. Mutatione non opus esse arbitror.

730. Recte hi versus nunc Choro tribuuntur; etiam scholiastam eos Choro tribuisse apparet: olim famulo tribuebantur. In M linea praefixa est, in G nulla personae nota, apud Robortellum θερ., apud Turnebum οι. i. e. οἰκέτης. Pro τεύχειν Hermannus vult τυχεῖν, et versum excidisse, quem non incommode explet, hoc modo:

τυχεῖν κακὸν
οἴκοισι πένθος θεὶς νέοις ἀγγέλμασιν.

Non tamen mutandum existimo.

732. Κίλισσα. Recte hoc nomen ex Mediceo et Turnebo restitutum est, quum fere ederetur Γείλισσα secundum Robortellum: est nomen gentile pro proprio nutrici datum. Pindarus eam appellavit Arsinoën, Py. XI 26, Stesichorus, ut scholiasta ad hunc Aeschyli locum docet, Laodamiam.

733. λύπη δ' ἄμισθος. Tristitia non dat mercedem: nihil dolendo proficies. Ceterum sponte intelligitur, toto hoc sermone Chorum consulto ignorantiam rerum simulare.

734. τοὺς ξένους. Difficilis est hujus accusativi explicatio. Accusativum agnoscit scholiasta, sed stulte explicat. Stanlejus voluit πρὸς ξένους, sed articulus abesse non posse videtur. Pauwius τοῖς ξένοις. Sunt qui accusativum ita explicent, ut ἄνωγεν monendi hanc habeat significationem: domina monuit, Aegisthum ab hospitibus vocari. Non est haec significatio ejus verbi: quod in nutricis sermone minus moror: verum non ab hospitibus vocabatur Aegisthus, verum a Clytaemnestra ad eos. Ergo credibile esse credo, nutricem ita usam esse soloe-

cismo, ut accusativo usa sit pro πρὸς τοὺς ξένους. Quodsi emendandi et conjiciendi studio aliquo modo indulgendum putarem, scriberem τοῖς ξένοις μολεῖν, collato 766.

738. θέτο σκυθρωπῶν. Sic Victorius. Libri θέτο σκυθρωπὸν. Alii ἔθετο, et in σκυθρωπῶν vel σκυθρωπὸν differunt. Recte contulit Abreschius Eurip. Or. 1304

κἀγὼ σκυθρωποὺς ὀμμάτων ἔξω κόρας.

740. ἔχει. Sic R. M et G ἔχειν, sed sententia requirit indicativum, isque agnoscitur a scholiasta, scribente: ἀντὶ τοῦ κακῶς οἶκος διακεῖται.

742. ἐκεῖνος. Libri ἐκεῖνον.

744. μοι συγκεκραμένα. Mihi admixta, i. e. quae experta sum. Cf. Pind. Py. X 64 οὔτε γῆρας κέκραται γενεᾷ, gens non experitur senectutem. Contraria constructio est apud Soph. Aj. 895 Τέκμησσαν οἴκτῳ τῷδε συγκεκραμένην, et Antig. 1311 δειλαίᾳ συγκέκραμαι δύᾳ.

749. φίλον δ' Ὀρέστην. Hic accusativus ita instituitur, ut dicere voluerit: hunc obiisse ferre non possum: vel simile. Verum et initium orationis abrumpitur et reliquae partes non apte inter se cohaerent. Quod convenit commoto animo et loquacitati nutricis indoctae.

750. μητρόθεν. Potest significare: ab ipso tempore, quo e matre prodiit: credibile tamen est, eandem, quae nutrix futura erat, etiam matri in pariendo adfuisse, fungentem obstetricis officio, ut igitur reapse a matre exceperit.

751. κελευμάτων. Sic libri. Alii dederunt κελευσμάτων, secundum Victorium: fortasse melius: sed perpetuam esse in hac voce scripturae inconstantiam monemur in Thesauro Linguae Graecae. Significantur clamores postulantes aliquid et quasi imperantes. Apud Eur. Hec. 910 ea vox in glossis exponitur βοὴ et κραυγή.

754. *τρόπῳ φρενός.* Habet haec dictio aliquam explicandi difficultatem. Scholiasta male explicat *ἐπιμελείᾳ ψυχῆς.* Ahrensius vertit: ex ingenii indole: intelligens ingenium pueri. Stanlejus: provida ratione, cato consilio. Appellavit nutrix puerum *μὴ φρονοῦν*, igitur illum nutrire non potuit ita ut ejus mentem intelligeret: neque enim loquitur infans: ergo eum alere debuit non secundum mentem ejus, sed more mentis; *τρόπος φρενὸς* opponitur ipsi *φρενὶ*, qua caret infans: quumque tamen non careat voluntate et cupidine, habet aliquam mentis similitudinem, quam conjiciendo debuerit nutrix consequi. Hoc igitur significat: puerum mente carentem nutrire oportet quasi mentem haberet.

756. *ἢ λιμὸς ἢ δίψη τις.* Sic in libris. Stanlejus *εἰ λιμὸς ἢ δίψη τις*, Dindorfius *ἢ λιμὸς ἢ δίψ' εἴ τις*, Hermannus *εἰ λιμὸς ἢ δίψησις.* Sed recte Wellauerus librorum scripturam defendit, afferens tum alia, tum Hom. Il. A 189

μερμήριξεν
ἢ ὅγε φάσγανον ὀξὺ ἐρυσσάμενος παρὰ μηροῦ
τοὺς μὲν ἀναστήσειεν, ὁ δ' Ἀτρείδην ἐναρίξοι,
ἠὲ χόλον παύσειεν.

Eurip. Med. 489

οὐδ' ἔχω μαθεῖν
ἢ θεοὺς νομίζεις τοὺς τότ' οὐκ ἄρχειν ἔτι,
ἢ καινὰ κεῖσθαι θέσμ' ἐν ἀνθρώποις τανῦν.

et Aeschyli in hac ipsa fabula 890

εἰδῶμεν ἢ νικῶμεν ἢ νικώμεθα.

756. *λιψουρία.* Alii humectationem significari existimant, derivantes a *λείβειν*: fortasse recte. Tamen Hesychius habet *λίψ, ἐπιθυμία.*

757. *αὐτάρκης*. Animi *αὐταρκείαν*, veram libertatem virtutisque fontem, jure philosophi commendarunt: verum in infantibus et sibi et partibus suis imperat venter: quoque modo sapientis viri animus non cupiditate aliqua a proposito abducitur, sic contra illi ventri ratione non indigenti cupiditas est sufficiens.

760. *τροφεύς τε*. Ita Turn. et R: M *στροφεύς τε*, G simile.

762. *πατρί*. Hom. Il. O 88 *Θέμιστι δὲ δέκτο δέπας*.

764. *στείχω*. In M *στείχων*.

765. *τῶνδε — λόγων*. Sic libri. Suavitatis causa alii mutarunt in *τόνδε — λόγον*. Quae causa est lubrica, praesertim pronuntiationem ignorantibus: praeterea non nimis elegantia orationis in indoctae nutricis sermone quaerenda est.

767. *ἢ πῶς*. Num rogas, quomodo illum instructum venire jubeat? Sine causa mutarunt alii *ὅπως* vel *τί πῶς*.

768. *εἰ ξὺν*. Turnebus. In G et R *ἢ ξὺν*, in M *ἤ ξυν*. Fortasse *ἢ* retinendum erat: cf. ad 756.

770. *δεσπότου στύγει*. Scholiasta habet: *τῷ μισουμένῳ ὑπ' Ἀγαμέμνονος*. Id defendit Klausenius, comparans 1028 *θεῶν στύγος*. Potius tamen assentior Stanlejo, per appositionem dictum putanti, ut *Αἰγίσθου βία* 893.

772. *τάχιστα γαθούσῃ*. Ita Turnebus: libri *τάχιστ' ἀγαθούσῃ*. Alii *γηθούσῃ*. Hermannus *γ' εὐδούσῃ*. Quae quidem mutatio minime sententiae convenit: laeto animo esse nutricem Chorus jubet, perferentem mandata: idque mirata illa Chorum rogat, an ipse laetetur recente nuncio.

773. *ὀρθοῦται λόγος*. Ita versus restitutus est ex Eustathio ad Il. O 207, tribuente tamen eum Euripidi. In libris *ὀρθούσῃ φρενὶ*, certe e versu praecedente. Signi-

ficatur ille de morte Orestae nuncius occultum habere eventum meliorem.

775. Verum nonne laetandum fuerit, si Jupiter aliquando meliora dederit?

777. Non magna divinandi arte opus est ad id quidem intelligendum.

779. ἄγγελλ'. Sic R. In M ἀγγέλ', in G ἄγγελ'.

780. μέλει — μέλῃ. In libris μέλλει — μέλλῃ.

783. Carminis hujus olim haec divisio erat, ut stropha constitueretur ad 793, antistropha a 794 ad 804. Novissimi editores constituerunt hoc modo:

783—788 stropha α'.
789—793 str. β'.
794—799 antistropha α'.
800—805 str. γ'.
806— καλύπτρας 811 mesodos.
811—818 ant. γ'.
819—826 str. δ'.
827—830 ant. β'.
831—837 ant. δ'.

Nos ea in medio relinquimus.

783. παραιτουμένῃ μοι. Mediceus παραιτουμέν' ἐμοὶ, ipso accentu ducens ad praesentem lectionem, quae debetur Turnebo. Hermannus παραιτουμένᾳ. G et R tantum accentu differunt a M.

785. μοι. Sic Turnebus: libri μου. Scholiasta agnoscit dativum.

786. τὰ σώφροσιν εὖ μαιομένοις. Sic Turnebus. In M τὰ σωφροσυνευμαιομένοις: idem habent G et R, sed aliis accentibus et alia distinctione verborum. Sententia brevius dicta sic explenda est: δὸς τυχεῖν δέ μοι κυρίως

ἰδεῖν, τὰ σώφροσιν εὖ μαιομένοις τύχοι ἰδεῖν διὰ δίκας. Quid autem illud erat, quod sapientes videre optarent? nempe quid aliud nisi ut bona causa triumpharet?

787. διὰ δίκας. ἅπαν. In M et G διαδικᾶσαι πᾶν, idemque R, sed prius vocabulum paroxytonon. Jam alii emendarunt διὰ δίκας πᾶν: et in scholio est δικαίως et κατὰ δίκαν. Malui autem ipse ἅπαν: ex hac enim scriptura facilius oriri potuit ea, quae in M et G nunc est.

787. ἅπαν ἔπος ἔλακον, σὺ δέ νιν. Tota haec mea oratio est: nihil precor amplius: tu vero meas preces serva, i. e. perfice ut ratae sint.

789. πρὸ δὲ δὴ 'χθρῶν. In libris προδὲ δήχθρῶν.

790. τὸν. Emendarunt pro librorum scriptura τῶν. Significatur Orestes. Tu illi, qui nunc in domo est, victoriam de hostibus tribuas.

791. μιν. Nempe hostes. Est quidem interdum μιν positum numero plurali, ut Soph. Oed. Tyr. 867 pertinens ad νόμους, Oed. Col. 43 de Eumenidibus. Tamen hoc loco propter adjectivum μέγαν apparet esse singulare. Verum modo ἐχθρῶν nomine significabatur Aegisthus, ideoque nunc facile oratio transiit ad numerum singularem. Cf 713.

791. μέγαν ἄρας. In M ἄιρας. Cf. ad 492. Eadem dictio est 262. Superbire Aegisthum Jupiter passus fuerat: cf. 59, 137. Nunc tanto graviores poenas exacturus erat.

793. παλίμποινα. Libri παλίνποινα.

794. εὖνιν. Conf. 247 γένναν εὖνιν αἰετοῦ πατρός.

795. ζυγέντ'. Quum passive sit dictum, intellectum habet ὑπό σου: quasi ἴσθι ζεύξας: scias te junxisse. Verum participio προστιθεὶς nova pars sententiae enunciatur. Velut vs. 1 ἐποπτεύων σωτὴρ γενοῦ, adspicias et servator

exsistas: 583 ἐποπτεῦσαι ὀρθώσαντι, ut adsit et provehat. Ergo h. l.: scias te junxisse pullum cari tibi Agamemnonis malorum currui, verum aliquando terminum pone.

795. ἅρματι. Hermannus ἅρμασιν, fortasse vere. In scholio Mediceo est ἅρμασι.

797. τὶς ἄν. Ita scribendum ipse putavi pro τίς ἄν. Mox vs. 799 multi ediderunt πημάτων, quod habet scholiasta: verum βημάτων est in M et G: in R κτημάτων.

797. Σωζόμενον est formae mediae, activae significationis, et jungendum cum δάπεδον: ῥυθμὸν regitur a σωζόμενον: δάπεδον ab ἰδεῖν. Infinitivum ἰδεῖν partim bene videtur explicare scholiasta: λείπει τὸ ὅπως, καὶ τὸ ἰδεῖν ἀντὶ τοῦ ἴδοι, ὁ δὲ νοῦς, ὅπως ἄν τις τοῦτο ἴδοι —. Hoc scilicet recte, quod existimavit τὶς esse indefinitam personam, et infinitivum ἰδεῖν habere optativi significationem: similiter Hom. Od. H 311 αἲ γὰρ — τοῖος ἐὼν οἷός ἐσσι — παῖδα τ' ἐμὴν ἔχεμεν καὶ ἐμὸς γαμβρὸς καλέεσθαι: utinam meam filiam haberes meusque gener appellareris: et Od. Ω 379. Persona indefinita hoc loco significat Orestem: conf. 59, ubi simili modo Clytaemnestra significatur. Ὄρεγμα est appositio vocabuli δάπεδον: ἀνόμενα βήματα, gradus qui perficiuntur, qui ad eventum ac terminum pergunt: ergo ἀνομένων βημάτων ὄρεγμα est ultimum graduum propositum. Utinam Orestes hoc solum, quod gradienti erat ultimum propositum, videat servare modum malorum. Conveniunt preces cum iis, quae mox sequuntur 803—806.

801. πλουτογαθῆ. Turnebus: et sic etiam in M esse videri dicit Hermannus: in G et apud Robortellum πλουταγαθῆ.

802. κλύετε. Libri. Alii κλῦτε: fortasse melius.

802. *σύμφρονες.* Nempe nobiscum. Audite et nobis assentimini. Cf. quae ad vs. 796 de *προστιθεὶς* monuimus. Appellari Deos penates facile intelligitur.

804. *λύσασθ'.* Redimite, sic ut ne amplius quid ex iis proveniat.

805. *τέκοι.* Cf. 648. Sit haec caedes feliciter peracta, verum sit ultima vetusti sanguinis progenies.

806. Est accusativus absolutus: *τόδε* substantive positum, significatione verbi ad subjectum translata: hoc quum interfectum erit, i. e. quum haec caedes perfecta erit. *Καλῶς* ad eventus felicitatem potius quam ad laudem pertinet, quamquam in re laudabili dicitur. Nonnulli mutarunt *κτάμενον* in *κτίμενον* et conjunxerunt, interpunctione mutata, cum sequente *στόμιον.* Verum *κτάμενον* et in libris est et a scholiasta agnoscitur, explicante *ἀναιρεθησόμενον.*

807. Scholiasta: *ὦ Ἅιδη*: cf. Virgilius Aen. VIII 667 alta ostia Ditis. Verumtamen melius alii existimarunt Apollinem significari: Strabo L. IX c. III *φασὶ δ' εἶναι τὸ μαντεῖον ἄντρον κοῖλον κατὰ βάθους, οὐ μάλα εὐρύστομον· — ὑπερκεῖσθαι δὲ τοῦ στομίου τρίποδα*: magnitudo ergo ostii non latitudinis verum profunditatis est.

808. *εὖ δός. εὖ διδόναι* affert Abreschius e Soph. Oed. Tyr. 1081 et Oed. Col. 642.

808. *ἀνδρός.* Stanlejus maluit *ἄνδρα.*

810. *τ'.* Addidit Turnebus, desideratum in libris.

811. *δνοφερὰς καλύπτρας.* Sic libri. Hermannus edidit *ἐκ δνοφερᾶς καλύπτρας*, et genitivum dicit agnosci a scholiasta, scribente *τοῦ σκότους*: non tamen ideo apparet, illum legisse *δνοφερᾶς*: potuit illa glossa pertinere non ad *δνοφερᾶς καλύπτρας*, sed simpliciter ad *δνοφερὰς*,

ut tegumenta obscura significaret esse tegumenta tenebrarum, et Chorum precari crederet, ut Orestes laete vesperem adspiceret peracto certamine: jam enim nox appropinquabat: vide 660. Verum δνοφεραὶ καλύπτραι videntur esse ipsa domus Agamemnonis, nunc luctu obruta: vide 52 δνόφοι καλύπτουσι δόμους δεσποτῶν θανάτοισι. Hoc igitur precatur: da domum Orestes revideat Agamemnonis, libere et splendore pristino regio, quo nunc destituta est (vs. 54): adspiciat illas caras sibi aedes, a quibus tamdiu abfuit, quae tamdiu tenebris luctuosae fuere. Καλύπτρα aliis locis, quantum scio, non quodvis tegumentum significat, sed velamen capitis muliebre, ut Plat. Alc. I 123 B: verumtamen esse universae significationis potest, quemadmodum κάλυμμα, quod de ejusmodi tamen velamine etiam dicitur Agam. 1178.

813. παῖς ὁ Μαίας. Jam saepius in hac tragoedia Mercurium invocatum vidimus: cf. annotatio ad 622 et ad 727. Eumen. 90 ipse Apollo ei Orestem commendat.

813. ἐπιφορώτατος. Recte scholiasta metaphoram a vento desumtam dicit, et Hermannus confert Thuc. III 74 ἄνεμος τῇ φλογὶ ἐπίφορος.

815. πολλὰ κ. τ. λ. Haec rursus ad Apollinem pertinent. Respicitur ad oraculum ejus Dei de poena Clytaemnestrae et Aegisthi. Erat illud Orestae datum; quod ille ab Apolline jussus erat facere, erat occultum Aegistho et Clytaemnestrae: tribuit quidem Chorus somnium Apollini 32, quo territa fuerat Clytaemnestra: nec tamen id satis illa intellexerat; conata enim est inferos placare, non intelligens, profusum sanguinem non redimi, 48, jamque fatum instans a se evitari non posse: nunc certe etiam minus illud praesagiebat, nuncio de

morte Orestae accepto laetata. Fuerant ergo sane illa verba Apollinis *κρυπτὰ* et *ἄσκοπα*, occulta nec visa, i. e. nec intellecta. Jam Chorus, ad haec respiciens, vaticinantis instar praedicit, similia pravitatis etiam postea non defutura exempla: multa hujusmodi fore oracula, quae non intelligant ii, ad quos eventus oraculorum scelerisque poena perventura sint: ipsumque Deum ad illos venientem vultum induere nocturnis tenebris, quae nec interdiu solvantur. Qua imagine non tantum obscuritas, ut inopinantes opprimat, verum etiam iracundia significatur. Cf. hujus tragoediae 61—65. Etiam apud Homerum Apollo, Graecis missurus poenam et pestilentiam, *ἤϊε νυκτὶ ἐοικὼς*, Il. A 47: et apud Hesiodum Justitia, mortales punitura, venit *ἠέρα ἑσσαμένη*, Op et D. 223, et custodes Jovis mortales eorumque injusta facinora observant *ἠέρα ἑσσάμενοι*, ibid. 255.

816. *κρύπτ'*. Libri *κρυπτά*.

817. *νύκτα πρό τ' ὀμμάτων σκότον φέρει*. I. e. *νύκτα σκότον τε πρὸ ὀμμάτων φέρει*. Dictio *πρὸ ὀμμάτων* non male a scholiasta explicatur *πρὸ τοῦ προσώπου*. Alia significatione dicitur apud Aristotelem *πρὸ ὀμμάτων ποιεῖν* Rhet. II 8, et *τίθεσθαι* Poët. 17, et apud Demosthenem *πρὸ τῶν ὀφθαλμῶν ποιεῖσθαι* adv. Aristog. II p. 808.

819. *καὶ τότε δήπου τόν*. Libri *καὶ τότε δὴ πλοῦτον*. Nobis conjicientibus scribendum esse visum est *καὶ τότε δήπου τόν*, et colon, quod post *πόλει* adhuc convenienter explicationi scholiastae positum fuit, post *μεθήσομεν* posuimus. Mutatio, quam suademus, facilis est: etenim in unciali scriptura vix distingui inter se possunt Lambda et Pi, ut docet Bastius in commentatione palaeographica p. 730, et aperte ostendunt exempla 'Απόλ-

λωνος et λίθον in Tabula II num. 6. Quodsi ergo pro δήπου τὸν lectum fuit δήλου τὸν, facile ex eo errore emendatio falsa δὴ πλοῦτον oriri potuit: et simplex lambda pro duplici et contra in M occurrit 779 et 780. Tum nimirum, quum supplicium Deus sumserit, nos mittemus modum, neque eo amplius utemur, quo adhuc usae sumus, qualis incantatorum esse solet in expiando et in malis deprecandis: quem etiam nos feminae communiter pulsando adhibuimus ad hanc expiandam domum, quemque a nobis eventu felici institutum esse apparebit. Sed tum eo non amplius opus erit, quum res perfecta erit. Οὐριοστάταν, scholiasta: οὐρίως σταθέντα.

824. τάδ'. Sic G et R. In M est τὰ δ'.

827. ὅταν. In M ὅτ' ἂν.

827. μέρος ἔργων. Vices certaminis perficiendi.

828. Dativi ἔργῳ et θροούσᾳ pendent ab ἐπαῦσαι, alter vi praepositionis, alter vi verbi: in θροούσᾳ intelligitur μητρί: τέκνον est vocativus, pendens a θροούσᾳ. Πατρὸς ἔργον est opus propter patrem perficiendum, patris ultio: similiter τοῦ πατρὸς τοὺς αἰτίους 273. Quando ad ipsum certaminis opus perveneris, si ad te tum tua mater clamabit: mi fili: tum tu in patre ulciscendo contra illi reponas vocem patris, i. e. qua pater te filium compellaret melius et potiore jure. Nam αὐδὰ πατρὸς non est nomen patris, quo ille compellaretur, sed vox, qua ille compellaret.

830. ἐπίμομφον. Sic Robortellus et Turnebus. M ἐπίμομφαν. Est autem ἐπίμομφος ἄτα praesens ignominia et calamitas, cum exsilio et expulsione bonorum conjuncta.

831. Libri τε. In M et G φρεσὶν, Robortellus et

Aldina φρεσὶν, Turnebus φρεσὶ. Persei exemplum tantum ad invictam fortitudinem pertinere credo: quam quum ille in Medusa ostendisset, Orestes in Clytaemnestra deberet ostendere.

832. σχεθὼν. Libri σχέθων.

833. τοῖς θ'. Sic R: in M et G τοῖς δ'. Significatur Agamemnon.

834. τοῖς τ' ἄνωθεν. Maxime Electrae.

835. χάριτος ὀργὰς λυπρὰς. Sic Turnebus. Libri χάριτος ὀργᾶς λυπρᾶς. Editores nonnulli χάριτας ὀργᾶς λυπρᾶς: et plura a quibusdam mutantur. Exsequens tristes iras ante gaudia, i. e. iras gaudia parituras.

837. μόρου. Sic Turnebus. In libris μόρον. Deesse finem carminis existimat Hermannus. Certe participiis sententia enunciatur et absolvitur: igitur aut Hermanno assentiendum, aut existimandum, in tam gravi et pleno spiritus carmine participium pro imperativo positum esse. Atque hoc quidem adhuc mihi videtur.

838. Cf. Soph. Aj. 289.

842. δειματοσταγὲς. Sic Victorius. In M et G δειματοστάγ' ἐς, apud R δείματος τάγ' ἐς. Stanlejus conjecit αἱματοσταγὲς, minime male: cf. Agam. 1309: sic Aegisthus significaret, prius vulnus nondum sanatum esse, ut novum vulnus statim denuo sanguinem excitaret. Verumtamen librorum scripturam, vel quod ei simile est, adhuc retineo. Terrorem dicit domui incuti, proprie instillari, quum hoc novum vulnus ad priorem caedem accedat. Quanta illa impudentia scelerati, qui ipse illa priora vulnera intulerat? quanta simulatio falsa perfidi, qui anxio animo unam medelam, Orestae mortem, exspectabat? Similis Clytaemnestrae horrenda pravitas est 691.

843. δεδηγμένῳ. Activam notionem habere videtur. Klausenius in ἑλκαίνοντι et δεδηγμένῳ intelligit ἐμοὶ, ut sit explicandum: mihi priore caede ulcerato et morso: verum hoc non convenit cum praecedente dativo δόμοις, quo jam expressum est, ad quos haec nova clades pertineat.

844. βλέποντα. Abreschius videndi significationem ad vivendi significationem transferri putat, ut βλέποντα et θνήσκοντες 846 inter se sint opposita. Credo tamen ad perspicuitatem pertinere, ut caecus de obscuro dicitur apud Virg. Geo. I 463 caecos tumultus fraudemque et operta bella.

845. πρὸς γυναικῶν. Acceperat famam a nutrice, quae ipsa illam pertulerat jussu Clytaemnestrae.

846. πεδάρσιοι. Formae similitudinem vide πεδαίχμιοι 589 et πεδάοροι 590.

846. θνήσκοντες μάτην. Quorum finis inanis et eventus nullus est.

850. αὐτὸν αὐτῶν. Necessaria mihi quoque, ut plerisque jam editoribus, haec emendatio videtur, quum libri habeant αὐτὸς αὐτὸν. Hermannus praeterea pro πέρι edidit πάρα. Klausenius retinet scripturam librorum, et αὐτὸν ἄνδρα pendere putat a πέρι, hoc etiam accusativo suo postponi dicens Agam. 1281: ibi quidem tale exemplum non invenio, sed Pers. 61.

854. φρένα κλέψειαν. Sic libri. Conjecturae factae sunt φρέν' ἂν κλέψειεν, φρένα κλέψει' ἂν, φρένα κλέψειεν. Sed nihil mutandum videtur: de numero plurali cf. 840 et annotatio ad 713. De κλέπτειν cf. Hom. Il. A 132 μὴ κλέπτε νόῳ.

854. ὠμματωμένην. Se intentum fore affirmat is,

nec deceptum iri, qui in mortem acerbam jam caecus incurrit.

856. κἀπιθοάζουσ'. Sic Turnebus. M et G κἀπιθοάζουσα. Blomfieldus κἀπιθεάζουσ'.

859. μιανθεῖσαι. Priore scelere contaminatae.

860. πειραὶ. Sic libri, quantum scio. Scholiasta: πειραὶ αἱ ἀκμαὶ τῶν ξιφῶν. Non recte nonnulli edidere πεῖραι.

863. πῦρ καὶ φῶς. Utrumque de sacrificiis. Agam. 91 βωμοὶ δώροισι φλέγονται, ἄλλη δ' ἄλλοθεν λαμπὰς ἀνίσχει.

864. ἀρχάς τε πολισσονόμους. Ita libri. Porsonus et post eum multi ἀρχαῖς τε πολισσονόμοις. Verum scriptura retinenda est, ὄλβον est appositio accusativi ἀρχάς. Conjunctio τε copulat verbum ἕξει cum praecedente participio δαίων. Similiter Agam. 97 λέξασ' — παίων τε γενοῦ, ubi tamen Karstenius scribendum putat λέξαις. Et Hom. Il. X 247

ὣς φαμένη καὶ κερδοσύνῃ ἡγήσατ' Ἀθήνη.

Conf. etiam Choë. 557, et Plat. Gorg. 457 b ἐὰν δὲ ῥητορικὸς γενόμενός τις κᾆτα ἀδικῇ.

866. ἔφεδρος. Dicebatur in certo genere certaminis, ut monuimus in introductione ad Pindari Ol VIII. Hoc Aeschyli loco simpliciter est adversarius.

867. θεῖος. Sic recte Turnebus. In libris θείοις. Est dictum usu epico.

872. Rursus aliquid apparet animi, non quidem ἀνδραποδώδες, sed tamen quod conveniat βίᾳ φερομέναις, vs. 80. Cf. quae de Electra diximus ad 108 et de Choro ad 264.

875. τελουμένου. Sunt qui corruptum putent, prae-

sertim quia propter finem versus 872 librarius facile aberrare potuerit, scribantque πεπληγμένου.

878. γυναικείους πύλας. Sic M et R: G γυναικίους, Victorius γυναικείας. Hermannus nonvult januam gynaeconitidis intelligi, sed aedium regiarum, quum famulus ex hospitalibus egrederetur. Verum, si ita statuas, quid tum vocabulo γυναικείους opus erat? Et 712 memorantur ἀνδρῶνες εὔξενοι. Aedes ergo hospitales non ad aulam habuere suam januam, a virorum aedibus separatam, sed fuere in virorum aedibus: ex his nunc procedit famulus.

879. μοχλοῖς. Stanlejus conjecit μοχλοὺς, sed recte affert Abreschius Eur. Iph. T. 99

ἢ χαλκότευκτα κλῇθρα λύσαντες μοχλοῖς.

879. ἡβῶντος. Interpretes de robore vel celeritate ad januam aperiendam cogitasse video: verum non ad januam aperiendam robur requirit famulus, sed ad arcendum Orestem et ad periculum avertendum, non quidem ab Aegistho, qui jam occisus esset, sed a Clytaemnestra.

880. ὥστ'. Sic recte Porsonus: libri ὡς δ'.

880. διαπεπραγμένῳ. Sic recte Turnebus: scholiasta τῷ σφαγέντι. Libri διαπεπραγμένων.

882. ποῖ. Alii mutant et scribunt ποῦ, alii significari existimant: quo abiit Clytaemnestra. Sed recte Wellauerus affert Eur. Herc. fur. 74 ποῖ πατὴρ ἄπεστι γῆς.

883. ἐπὶ ξυροῦ. Alii de conjectura scribunt ἐπιξήνου, collato Agam. 1277. Verum dictionis ἐπὶ ξυροῦ multa allata sunt exempla a Blomfieldo ad h. l. et a Stanlejo ad Sept c. Th. 97, velut Hom. Il. K 173

νῦν γὰρ δὴ πάντεσσιν ἐπὶ ξυροῦ ἵσταται ἀκμῆς,
ἢ μάλα λυγρὸς ὄλεθρος Ἀχαιοῖς ἠὲ βιῶναι.

et Herod. VI 11 ἐπὶ ξυροῦ γὰρ ἀκμῆς ἔχεται ἡμῖν τὰ

πράγματα. Verum quum ea dicti significetur, non dici potuisse qui taemnestram casuram esse in sum aliter locum expediendum existim νῦν ἔοικεν εἶναι ἐπὶ ξυροῦ πέλας (mulus periculo anxius et festinant crimen cum ea re, cujus discrim oratione. Πέλας de tempore dictι

884. πεπληγμένος. Sic libri. Pro δίκην in M est δίκη.

885. βοὴν ἵστης. Stanlejus ex Thesm. 697

γυναῖκες, οὐκ ἀρήξετ'; οὐ
στήσεσθε;

et Lucian. Ver. Hist. c. 26 ὁ Με

886. λέγω. Sic libri. Turnel

887. οἲ ἐγὼ. Sic M et Turn plerique editores recentiores οἲ 'γὼ

890. ἢ νικῶμεν. Sic libri: Tι annotatio ad 756.

892. Jam apertis ita foribus conspici possit, Orestes matri ad dens loquitur.

892. τῷδε δ'. M τῶιδεδ'.

895. θανόντα κ. τ. λ. Hunc n des, ut prodidisti patrem meum.

896. τόνδε δ' αἴδεσαι. Pridem δήσεται.

897. ᾧ συ. Sic bene Robortel scriptura corrupta, velut in M ὠκὺ, alios vero ex eo referre ὠὴν

900. δαὶ. Sic M. In G δὲ. Multi editores δή.

900. ποῦ δαὶ τὰ λοιπὰ. Stanlejus conjecit ποῦ δαὶ, τάλαν, τὰ. Blomfieldus ποῦ δῆτά σοι τὰ. Verum reliqua oracula sunt, quae ad Clytaemnestrae caedem pertinent, quum ea, quae Aegisthum caedi jussissent, perfecta essent.

901. πιστὰ δ'. Scholiasta significari existimat jurajuranda, quae inter se Orestes et Pylades dederint. Quod non credo, sed Orestem jurasse Deo Apollini. Cui explicationi etiam sequentia conveniunt.

902. Si non interficies, Deum Apollinem habebis inimicum: tu vero cunctos, et vel ipsam matrem, potius habe inimicos quam Deos.

905. κρείσσον'. Libri κρέσσον'.

908. ξὺν. Recte emendatum: libri νῦν. Ipsum quidem νῦν tolerari posset, verum emendatio magnopere confirmatur responso Orestae ξυνοικήσεις.

911. μοῖρ' ἐπόρσυνεν. Aliquando dubitavi, an legendum foret μοῖρα πορσύνει. Sed recte se habet scriptura. Jam non dubitat Orestes perficere caedem: ergo hanc quoque, inquit, quae nunc tibi instat, Fatum paravit.

914. Recte scholiasta explicat: hoc non abjicere fuit, quum te in amicorum domum misi.

915. ἀδίκως. Libri habent διχῶς. Quod interpretantur: semel, quum me domo ejecisti, iterum vero, quum patrem meum occidisti et mea bona occupasti. Quodsi διχῶς retinendum sit, malim interpretari: seorsim: i. e. expulsus sum et venditus: sive, ut Ahrensius vertit, peregre venditus sum: ut idem sit διχῶς quod δίχα, quomodo τριχῶς et τρίχα idem significant. Verum conjeci scribendum esse ἀδίκως, idque recipere ausus sum.

Idem conjecisse Bothium video apud Wellauerum. Heathius minus bene conjecit αἰσχρῶς. Quippe injustam fuisse venumdationem causa additur, quum esset patris liberi: significat tacite, nec apertius ipsi matri roganti explicaturus, se venditum esse a matre, pretium accipiente amorem Aegisthi et concubitum.

916. τῖμος. In M accentu caret.

917. σου. Sic libri. Canterus σοι. Nec sane dativus esset incommodus. Tamen genitivus hanc explicationem admittit, ut jungatur cum τοῦτ'. Pudet me, hoc tuum opprobrium aperte accusare. Similiter Thucyd. I 84 τὸ βραδὺ καὶ μέλλον, ὃ μέμφονται μάλιστα ἡμῶν.

918. Licet tibi exprobare mihi meum Aegisthi amorem, sed similes etiam patris tui errores fuisse fatearis.

919. Bella gerentibus et labores perferentibus venia aliqua danda est a mulieribus, quae domi sedent et periculis laboribusque carent: eoque magis, quum viri per labores illos divitias domui uxoribusque quaerant.

924. κύνας. Furias significat. Cf. 1054, Eumen. 246.

926. θρηνεῖν πρὸς τύμβον. Proverbio dictum fuisse docet scholiasta. Ergo significat frustra orare, quemadmodum tumulus precantes non audit.

927. σοὐρίζει. Sic Wellauerus aliique ediderunt, ut sit pro σοι ὁρίζει: de qua contractione videatur Matthiae, Gramm. Tom. I p. 123. Libri σ' ὁρίζει. Aliquando conjeci σοι κτίζει. Cf. 441, quaeque ibi annotavi.

928. οἲ ἐγώ. Ex libris: editores multi οἲ 'γώ. Cf. 691 et 893. Sunt, qui transponenda ultima hujus versus verba putent, hoc modo, τόνδ' ἐθρεψάμην ὄφιν, verum de quantitate posterioris syllabae vocabuli ὄφις cf. 544.

929. Alii hunc versum cum sequente junctum Orestae tribuunt. Quod non probo. Jam propius manum adhibente filio Clytaemnestra in acrem somnii redit memoriam, certamque videns sibi mortem propositam, vera vaticinatum esse illud somnium intelligit. Orestes vero etiam in extremo opere conficiendo precibus matris querelisque et minis voces patris contra reponit, quasi audivisset monita Chori: vs. 828.

930. *κάνες*. Hoc ipsum M. G, R et Aldina habent scripturam eandem, sed aliter divisam accentibusque aliis. Mutarunt alii postea *ἔκανες*, et deleverunt *γ'*. Cf. *θέτο* 738. Recte monet Schuetzius, haec loquentem Orestem abripuisse matrem et juxta corpus Aegisthi rem perfecisse, remotam a spectatorum oculis.

930. *τὸ μὴ χρεών*. Cf. quae annotabimus ad 973.

931. *στένω μέν*. Sic libri. Turnebus *στένωμεν*.

931. *τῶνδε*. Fortasse legendum *τήνδε*.

932. *ἐπήκρισεν*. Scholiasta: *ἐπ' ἄκρον ἦλθε*. Hesychius: *ἐπήκρισεν, ἐπ' ἄκρον ἤγαγεν, τέλος ἐπέθηκεν*. Scholiastae explicationem sequor, a qua vix Hesychius differt. Multi sanguinis, quod eum profundere oportebat, ad finem pervenit.

933. *αἱρούμεθα*. Alii de conjectura *αἰτούμεθα*. Quod non probo. Peracto certamine, non precatur Chorus, oculus domus ne pereat, sed sumit hoc sibi et in pretio reponit, quod ille non periit: utitur autem non verbo *χαίρομεν* vel alio gloriosiore, sed ut in triumpho, quem tamen ipsum non gemitu carere fatetur, modestiore verbo *αἱρούμεθα*.

935. Jam e conspectu abiit Orestes: cujus consilium abeundi mox vs. 973 apparebit. Nunc vero Chorus, qui

modo modestius laetatus fuerat nec a gemitu etiam abstinuerat, jam exsurgit et carmen vere triumphale instituit, inflatus victricis justitiae divinae spiritu.

935. Carminis hujus descriptio haec solebat fieri, ut 935 institueretur stropha, 946 antistropha, 958 epodos. In qua tamen descriptione haud pauca officiunt convenientiae. Hermannus, multa mutans, stropham primam instituit 935, antistropham 946, in eaque duos versus in fine deesse statuit, quos partim de conjectura explet: tum quinque versus deesse in initio strophae secundae, in qua porro ponit 955 ad 961 ἰδεῖν: tum a 961 μέγα τ' ἀφῃρέθην, antistropham secundam ad finem carminis. Klausenius stropham primam ponit 935—945, antistropham 946—956, stropham secundam 957—962, antistropham 963—967, epodon 968—972. Equidem antiquam descriptionem ita retineo, ut non defendam.

938. διπλοῦς. Scholiasta Orestem et Pyladem significari existimat: sed significatur Orestes, caede duplici peracta: cf. 931.

939. ἔλακε δ' ἐς τὸ πᾶν. Sic libri. Ediderunt alii ἔλασε: idque non abhorret a scholio ἤλασε δὲ εἰς τὸ τέλος τοῦ δρόμου: et ἀφίκετο εἰς τὸ τέλος τοῦ ἀγῶνος. Alii aliter mutant. Retineo scripturam librorum. De verbi ἔλακε significatione dubitari non potest: cf. 788. Τὸ πᾶν significare credo omne genus hominum. Apud Pindarum Ol. II 153 eadem dictio est, verum ibi omnes homines significantur exceptis sapientibus: quae distinctio hoc loco non fit. Priamidis poena venit: venit interfectoribus Atridae: aperuit toti humano generi vindictam ille, cui ab injustis expulso illam suscipiendam Deus commiserat.

940. *πυθοχρήστας*. Sic libri. Dindorfius *πυθόχρηστος*: fortasse bene: vide quae monuit in Thesauro linguae Graecae.

941. *εὐφραδαῖσιν*. Sic M et G. R *ἀφραδαῖσιν*, Turnebus δὲ *φραδαῖσιν*: quod nonnulli secuti sunt: alii edunt *εὖ φραδαῖσιν*. Vocabulum *εὐφραδή* alibi non invenitur, quantum scio: non tamen mutandum puto.

942. *ἐπολολύξατ' ὦ*. Emendavit Seidlerus: libri *ἐπολολυξάτω*.

942. *δεσποσύνων δόμων*. Comparat Stanlejus Aristoph. Thesm. 42 *ἔνδον μελάθρων τῶν δεσποσύνων*.

943. *ἀναφυγὰς κακῶν*. Abreschius pro *ἐκ κακῶν* dictum esse monet, comparans Soph. Philoct. 1043 *τῆς νόσου πεφευγέναι*.

943. *τριβᾶς*. Libri *τριβὰς*.

944. *ὑπὸ δυοῖν μιαστόροιν*. Conjungit Schuetzius cum *τριβᾶς*: quae direptio intendebatur a duobus sceleratis: potius, si ita conjungas, explicandum est: quae fiebat a duobus sceleratis: cf. 137. Verum praestat conjungere cum *ἀναφυγὰς*: effugium ex sceleratis, ex manibus illorum. Sic Homerus Il. P 224 *ῥύοισθε ὑπ' Ἀχαιῶν*, servetis ab Achivis; cf. 645: N 198 *ἁρπάζειν ὑπὸ κυνῶν*, eripere canibus: T 73 *φυγεῖν ὑπ' ἔγχεος*, servari ex hastae periculo: Φ 56 *ἀναστήσονται ὑπὸ ζόφου*, resurgent ex inferis. Et Hesiod. Scut. Herc. 42

ὡς δ' ὅτ' ἀνὴρ ἀσπαστὸν ὑπεκπροφύγοι κακότητα
νούσου ὑπ' ἀργαλέης ἢ καὶ κρατεροῦ ὑπὸ δεσμοῦ.

945. *δυσοίμου τύχας*. Est appositio vocabulorum *κακῶν* et *τριβᾶς*. Hesychius *δύσοιμος*, *ἐπὶ κακῷ ἤκουσα*, ἢ *δύσοδος*.

946. *ᾧ*. Malunt alii emendare *ᾇ*. Est universa signi-

ficatione positum, quae sponte refertur ad Clytaemnestram et Aegisthum. Cf. 690 τὸν τεκόντα.

948. μάχᾳ. G et Robortellus μάχα, M μάχαι. Quod legendum esse μάχᾳ monui ad 492. Alii pro δὲ μάχᾳ edidere δ' ἐν μάχᾳ. Significatur tamen idem.

948. ἔθιγε χερός. Tetigit manum Aegisthi opprimens.

948. ἐτήτυμος. Malunt alii ἐτητύμως, de conjectura. Significatur Justitia nunc sceleratos opprimendo se genuinam Jovis filiam praestitisse: cf. 244.

951. τυχόντες. Cf. 317 et 418.

952. πνέουσ' ἐν. Sic libri. Stanlejus maluit πνέουσαν, alii ediderunt πνέουσ' ἐπ'. Sed recte Abreschius comparat Soph. Aj. 1315 ἐν ἐμοὶ θρασύς. Recte idem confert Eum. 840 πνέω τοι μένος ἅπαντά τε κότον. Etiam cf. Choë. 33 κότον πνέων.

953—957. Locum, quem fere, ut multas hujus carminis partes, depravatum magnopere existimarunt multi editores, ita edidi, ut in libris legitur, excepto ἀΐδνῶς: nam hoc adverbium de conjectura mea posui pro ἀδόλως. In M pro δολίας nonnulli dicunt scriptum esse δολίαν, verum ad Hermannum relatum est δολίας, idemque habet is, qui illius codicis scripturam dedit in editione Weigeliana. Interpunctionem vero constitui arbitratu meo. Duxit Apollo haec, quae dicta sunt, poenam scilicet et Justitiae manum mortiferumque odium ad litus domus dolosae: i. e. ad domum, quae tum Clytaemnestrae et Aegisthi erat: fecit id ἀΐδνῶς, necopinantes eos oppressit: conf. 815—818. Adverbium ἀΐδνῶς alibi non invenitur, quantum scio, verum adjectiva ἀΐδνὸς et ἀΐδνής. Scripturam ἀδόλως idcirco repudiavi, quia 947 memoratur δολιόφρων ποινά: cf. 557. Θεῖσαν refertur ad Clytaemnestram, et est objectum verbi ἐποίχεται: βλαπ-

τομέναν est passivum, et refertur ad δίκαν, et hic accusativus intellectus δίκαν est objectum participii θεῖσαν: ἐποίχεται τὴν Κλυταιμνήστραν, τὴν θεῖσαν τὴν Δίκην βλαπτομένην, i. e. τὴν Κλυταιμνήστραν, ἣ τὴν Δίκην ἔθηκε βλαπτομένην: Apollo assequitur, invadit illam, quae Justitiam laesam effecerat, i. e. violaverat: cf. Eumen. 14

χθόνα
ἀνήμερον τιθέντες ἡμερωμένην.

Ἐν χρόνοις construendum est cum ἐποίχεται, idemque significat, quod 935 χρόνῳ et 1040 ἐν χρόνῳ. De epitheto Apollinis μέγαν ἔχων μυχὸν cf. 807.

958—960. Hunc quoque locum secundum libros edidi. Accentus tamen in κρατεῖταί πως libri habent alios: M κρατεῖται πὼς, G et R κρατεῖται πῶς, Turnebus ita ut dedimus. Κρατεῖται est passivum. Exemplum domus Agamemnoniae Chorus persequitur. Fugatus fuerat Orestes expulsusque bonis: afflicta Electra: Aegisthus et Clytaemnestra superbi et quasi regii: ita videbatur numen divinum superari et vim suam amittere in illis, qui malis hostibus non obtemperantes ab eo defendi et adjuvari debuerant: nam causa, cur Orestes et Electra vexati fuerant, fuerat haec ipsa, quod probare matris flagitia eique auscultare noluissent: hoc ad ipsum divinum numen refertur: scelerati, quum illos, qui sibi obedire nollent, vexarent, ipsum Deum aliquo modo visi fuerant vincere propterea quod sibi adversaretur. Verum jam eventus docuit, divinum numen non vi sua carere: etiamsi illud aliquo modo superari videatur, oportet revereri coeleste imperium, quod suo tempore malos opprimat. Sic Chorus, quod antea, 61, nunciavit, tum vero, jam instante certamine, 390 et 464, praesagiens

intusque sentiens et tremens tamen cecinit, nunc triumphans intonat ore pleno: utque ipse, 939, Orestem dixit ad cunctos esse locutum, sic haec quoque ipsius Chori Aeschylei vox nuncia mortalium generi est, avertens a malo, metumque docens et reverentiam divini numinis, nec desperandum esse iis, qui, quod malis non obediant, superari ita videantur et vexari, ut ipse Deus a malis superatus esse videatur.

961. *πάρα τὸ.* M et R *πάρα τε*, G *παρά τε.*

961. *πάρα τὸ φῶς ἰδεῖν.* Lucis sane imagine omne gaudium significatur: verumtamen hoc loco dicitur non sine respectu ad 863.

961. *μέγα τ' ἀφῃρέθην.* In libris *μέγαν τ' ἀφῃρέθην.* Significatur liberatio jugi servilis, quod Aegisthus et Clytaemnestra domui imposuerant.

963. *ἄναγε μὰν δόμοι.* In libris *δόμοις*, et in M et G *ἀναγεμὰν.* Assentior Hermanno, *ἄναγε* significare erige te vel erigite vos, et simili forma dictum esse ut *ἄπαγε.* Klausenius retinet *δόμοις*, et dictum esse putat pro *ἐν δόμοις*: appellari autem omnes, qui in aedibus habitarent, in primis ipsum Chorum appellari a semet ipso. Et praepositio quidem praetermitti potest, ut 168 *τάφῳ*, et Agam. 862 *δόμοις*, verum ibi illi casus cum reliqua sententia apte cohaerent: hoc vero loco etiam subjectum praetermissum foret: explicatio illa mihi videtur durior.

964. *χαμαιπετεῖς ἐκεῖσθ'.* M et G *χαμαιπετεῖσε κεῖσθ'*, R *κεῖθ'.*

964. *αἰεί.* Sic libri. Alii *ἀεί.*

965. *ἀμείψεται.* Mutabit: januam pro tristi et caliginosa splendidam laetamque efficiet. Ita scholiasta: *ἀλλάξει ἀπὸ κατηφείας εἰς λαμπρότητα.*

966. *ὅταν.* Libri *ὅτ' ἂν.*

966. *ἀφ'.* M *ἀμφ'*: reliqui libri *ἐφ'.*

967. *ἐλάσῃ.* Sic libri, sed M *ἐλάσει*, *η* scripto supra *ει.*

968. *ἐλατήριον.* Scholiasta: *τὸ ἐλαῦνον τοὺς ἀσεβεῖς*: et *ἐλατήριον δὲ τὸ καθαρτικὸν φάρμακον.* *Μύσος πᾶν* est accusativus, *ἐλατήριον ἅπαν* nominativus. Copiosius piaculorum lustrationem nunciat, propterea quod ea ingentia et multa domum foedassent.

969. *εὐπροσώπῳ κοίτᾳ.* Sic R et Turnebus. M *εὐπροσώπωικοίται*, G *εὐπροσώπω κοίτα.*

970. *τόπαζε δείν' ἀκοῦσαι.* Libri *τὸ πᾶν ἰδεῖν ἀκοῦσαι.* Verum sic scriptum locum non intelligo. Quod edidi, ipse conjeci. Hesychius *τοπάζειν* interpretatur *ἱδρύειν*: Eustath. ad Il. E 233, p. 543, 17, idem verbum interpretatur *κοιτάζειν*, et de collocatione ferarum in venatione dicit adhiberi. Quae quidem et vocabulo *κοίτᾳ* hoc loco conveniunt, et acri sententiae, quum quasi illa *κοίτα* ferarum cubilibus lustrisque comparetur. Est enim *εὐπρόσωπος κοίτα* torus Aegisthi et Clytaemnestrae: non felix ille, sed *εὐπρόσωπος*, felicitatis specie indutus: in quo quum non modeste se gererent, sed superbirent et bacchantium vel etiam ferarum instar clamarent, fortuna in eo toro constituit res terribiles auditu, quum ille duplex leo sceleratos de medio tolleret. De specioso toro cf. 60, 137, 975.

971. *μέτοικοι δόμων.* M et R *μετοικοδόμων*, G *μετ' οἰκοδόμων.* Scholiasta explicat: *οἱ νῦν τοὺς δόμους οἰκοῦντες πεσοῦνται εἰς τὸ ἔμπαλιν τῆς πρώτης τύχης.* Quem *μέτοικοι* legisse apparet. Verum mutatio non significatur fortunae, verum ipsorum habitatorum: pro sceleratis jam pii domum habitabunt. *Πίπτειν* eventum significat:

εὖ πίπτειν bene evenire: μεταπίπτειν contra evenire vel mutari: cum hoc πάλιν πίπτειν convenire videtur.

972. πάρα. Libri παρὰ.

973. Redit Orestes, postquam quaesivit vestem dolosam, qua patrem induerat Clytaemnestra interfectura, ipsumque pallium, quod tum pater corpore gesserat, adhuc sanguine maculatum: vide 1011: haec affert, et foribus nunc apertis ostendit corpora caesorum. Idem nunc affert ramum et sertum, cum quibus mox ad Apollinem profecturus est, auctorem rerum: vide 1035.

Verum operae pretium est, ad mores Orestae attendere animum. Nihil hic perfecto facinore gloriatur: contra vero e vestigio abiit ut ea conquireret, quae ad causae suae pertinerent justitiam planam faciendam. Tota fabula ostendit, illum non cupiditate aliqua ad matrem interficiendam adductum esse: sed patris ulciscendi studio et Dei monitu, iisque causis, quas explicuimus ad 302. Initio, quum patris vindictam memorat, matrem silet, 18. Postea vero quam in acrem memoriam redit caedis paternae, matrem vocat viperam, in cujus retibus ille occubuisset, 249. Ubi vero jam apertius ulciscendi consilium nunciat, maxime Aegistho mortem denunciat, matris quidem imperium non mansurum esse dicens, sed non aperte ei caedem minatus: 305.

Deinceps, lyrico carmine Chori et graviore narratione ignominiae, qua pater affectus esset, vehementius commovetur: eoque pervenit, ut manus se matri illaturum esse aperte dicat: quod tamen ubi primum dixit, mortem sibimet ipsi optat, postquam illud facinus perpetrasset: 438.

Ergo cernere licet, difficulter illum ad eam caedem esse adductum. Iterum memoriam patris injuriae perse-

quitur, et ipsum patrem illius injuriae commemoratione ad auxiliandum sibi commovere vult: 479 seqq. Inquirit porro de somnio, quo Clytaemnestra ad inferias Agamemnoni ferendas impulsa fuisset: quod auditum ad se pertinere intelligit, jamque se illam interfecturum esse fidenter affirmat, invocato tumulo patris et patria: 548.

In consilio autem rei peragendae mixta est illa fiducia aliquo non timore, sed nescio quo affectu animi, qui non omni timore vel pudore careat. Non timuit is, qui jam sanguinis materni plenum haustum promisit Furiae: 578: et tamen quae causa est, cur certo statuat Aegisthum prius interficere? 575. Cur in foribus pulsandis, quum aliquam mulierem se velle exire dixisset, revocat se causa speciosa interposita et viro potius id convenire admonet? 665. Nonne ea oratio Aegisthum petentis est? Huic iratus est, hunc lubens interfecturus: sed ipsi matri prodeunti obvius, 668, facile manus cohibet, donec illum interfecisset. Docent haec omnia, animum ejus non studio ad illud facinus perpetrandum adductum esse.

Tandem vero, qnum Aegistho interfecto matrem quaerit, vox ejus et adspectus pectoris ei pudorem injicit, et Pyladis consilio et divini mentione mandati opus est ut ad audaciam redeat: 899: atque in ipsa re perficienda, postremum caedem patris memorans, quam a matre perfici non oportuisset, illi quoque patiendum esse dicit, quod non oporteret: 930: non negans, impiam oportere mori, sed sentiens, non matrem a filio oportere mori.

Quae quum ita sint, convenit talibus moribus consiliisque, illum post rem peractam nulla gloriatione, nulla laetitia usum fuisse, sed continuo conquisivisse illa om-

nia, quae ad rem probandam pertinerent. Et mox quasi in dubitationem incidit de tota rei causa: verum illam tollit: jam tamen totum genus Atridarum deplorans: 1010—1017. Verum omnino quae jam post ea sequitur postrema pars fabulae, in qua Orestem jam incipiunt agitare matris Furiae, ejusmodi est, ut ipse Chorus, qui modo triumphale carmen de re perfecta cecinisset, in fine dubitet, utrum appellare debeat liberationem an interitum, et nesciat, quo res evasura sit. Verum hoc pertinet ad praeparandam tragoediam Eumenidum. Simili modo finis fabulae Agamemnonis continet ea, quae vix ipsa animis legentium satisfacere videantur, sed quae pertineant ad praeparandam fabulam, qua ultio contineatur.

975. *τόθ'*. Stanlejus conjecit *ποθ'*. Quod non probo. *τότε* et *νῦν* inter se opponuntur.

978. *ἀθλίως*. Sic libri. Mutarunt multi, edentes *ἀθλίῳ*, propter 981. Sed recte attulit Klausenius Eurip. Troad. 1163

δύστηνε κρατὸς, ὥς σ' ἔκειρεν ἀθλίως
τείχη πατρῷα.

980. *ἐπήκοοι*. Hesychius: *ἐπήκοοι, κριταὶ, καὶ οἱ μάρτυρες καὶ οἱ δικάζοντες*. Hoc loco sunt testes. Confert Abreschius Agam. 1420 et Eumen. 732. Priore loco *ἐπήκοος* est judex, posteriore testis.

983. *ἐκτείνατ'*. Famulos vel satellites domesticos alloqui videtur, jam nunc ipsi obedientes: et hi quidem tum in scenam prodiisse putandi sunt, quum redibat Orestes, 973. Sed vs. 973 et 980 et Chorum et famulos simul appellat.

983. *αὐτὸν*. Sic, quantum scire mihi licet, libri. Fere mutarunt in *αὐτὸ*. Sed refertur ad *δεσμὸν* 981.

Ceterum ante hunc versum, post *ξυνωρίδα* nonnulli transponunt vss. 997—1004. Verum commoto Orestae animo apprime convenit is versuum ordo, qui in libris est: ut, 997, iterum adspiciens illud rete dolosum, denuo ad acrem ejus vituperationem redeat, ac postea, 1005, detestetur illam, quae id perficere sustinuisset.

983. *κύκλῳ*. Non pendet a *δείξαθ'*, sed pertinet ad *παραστάδόν*. In *δείξαθ'* intelligere licet *πατρὶ*, verum potius absolute positum est, quum mox verbis *ὡς ἴδῃ* significetur, cui monstratio fiat.

984. *ἀνδρὸς*. Turnebus aliique *ἀνδρῶν*: M et R *ἀνδρὸς*, G utrumque habet.

984. *ἴδῃ*. M et R *ἴδη*, Aldina *ἴδοι*, G utrumque.

989. *λέγω*. Ita recte Turnebus, e scholio: libri *ψέγω*. Si diceret, se non vituperare caedem Aegisthi, ostenderet, se vituperare caedem matris: quod non facit, planum faciens, se eam juste occidisse: sed Aegisthi interitum non caedem appellat.

990. *αἰσχυντῆρος ὣς νόμου*. Sic M et G, verum *ὡς* atonum: accentum addidit Turnebus. R omisit *ὡς*. Alii ediderunt *ὡς νόμος* et interpunctionem posuerunt ante *ὡς* et post *νόμος*.

992. *τέκνων ἤνεγκ'*. Recte emendatum. M *τέκνωνηνὲχη*, G *τέκνων ἠνέχῃ*.

993. *ὡς φαίνει*. Ahrensius vertit: ut apparet. Potius interpretor: ut ostendit mortua.

994. *γ' ἦτ'*. Sic G. M *τ' ἦτ'*, sed ad prius *τ* suprascriptum est *γ*. Weigelius *γ' ἦ*. Alii *γ' εἴτ'*.

994. *ἐχίδνη*. Cf. 249 *δεινῆς ἐχίδνης*.

995. *θιγοῦσ' ἂν ἄλλον*. M et G *θίγουσαν ἄλλον*. R et Turnebus *θίγουσ' ἂν ἄλλον*. Auratus pro *ἂν ἄλλον* voluit

ἄνουλον, non vulneratum: sic foret οὐ δεδηγμένον repetitio: qualis ab Aeschylo non abhorret, ut notavi ad 517. Blomfieldus conjecit θιγοῦσα μᾶλλον.

996. κἄδικου. Sic Turnebus. In libris κἀνδίκου.

996. Significat, quomodo muraena vel vipera etiam sine morsu, tactu ipso eum, quem tetigerint, violent, sic Clytaemnestram, etiamsi manus non inferret, ipso audaciae injustae spiritu violare alium potuisse.

997. κἂν. Sic libri. Alii καὶ. Cf. Agam. 1232

τί νιν καλοῦσα δυσφιλὲς δάκος
τύχοιμ' ἄν; ἀμφίσβαιναν ἢ Σκύλλαν τινά;

997. εὐστομῶν. Ahrensius vertit: justo nomine nominem. Quod non probo. Εὐστομεῖν est vel suavem vocem edere, ut Soph. Oed. Col. 18 εὐστομοῦσ' ἀηδόνες: vel bona verba loqui, favere linguis, εὐφημεῖν, ut Aristoph. Nub. 833

εὐστόμει,
καὶ μηδὲν εἴπῃς φλαῦρον ἄνδρας δεξίους.

Excusat Orestes nominum, quibus usurus est, acerbitatem, eamque nonvult esse mali instar ominis, quum fieri non possit, ut in tanta malitia significanda iis abstineat.

999. δροίτης. Sic M, υ scripto supra οι. G δρυοίτης, R δρύτης. Cf. Eumen. 633, ubi libri in οι consentiunt.

999. δροίτης κατασκήνωμα. Scholion παραπέτασμα ὅρους, quod recte Stanlejus emendare videtur παραπέτασμα σοροῦ.

1001. τοιοῦτον ἂν. Sic Turnebus. Libri τοιοῦτο μὰν, quod retinet Klausenius.

1001. φιλήτης. Recte affertur Seneca, Ep. 51 „latronum more, quos Philetas Aegyptii vocant: in hoc nos amplectuntur, ut strangulent."

1002. ἀπαιόλημα. Video a quibusdam haberi pro

nominativo et conjungi cum *φιλήτης*. Verum pertinet ad *τοιοῦτον*, et instrumentum hoc quidem loco significat, quo hospites suis bonis fraudentur insidiose.

1002. *κἀργυροστερῆ*. Sunt qui explicent inopem pecunia. Et sic quidem conveniat significatio cum *πατροστερῆ* 253. Tamen active significare videtur furacem.

1003. *νομίζων*. Turnebus. In M et G *νομίζω*. R *νομίζοι*.

1003. *τῷδέ τ'*. Stanlejus *τῷδέ γ'*.

1004. *θερμαίνοι φρένα*. Libri *φρενὶ*. Recte emendatum videtur. Apud Aristoph. Ran. 844 *πρὸς ὀργὴν σπλάγχνα θερμαίνειν κότῳ*. Hoc vero loco non de ira, sed de gaudio dicitur. Ahrensius, retinens *φρενὶ*, tamen vertit: in animo suo laetitia incalescat. Verum *θερμαίνειν*, quantum scio, non significat incalescere, sed calefacere. Cf. Plat. Tim. 46 d. Convenit *εὐφραίνειν νόον* 742.

1005. *τοιάδ' ἐμοὶ*. Sic Hermannus. M *τοιᾶδ' ἐμοι*. G et R *τοιᾶδ' ἐμοὶ*.

1007. *αἶ αἶ*. Sic M et G. R *αἴ αἴ*. Editores recentiores *αἰαῖ αἰαῖ*.

1008. *διεπράχθης*. Agamemnonem alloquitur.

1009. *μίμνοντι*. Post tempus. Velut *τελευτῶντι* foret: in fine. Recte hoc modo explicat scholiasta: qui fecit, huic etiam quae patiatur post tempus exsurgunt. Respicitur ad interfectores Agamemnonis. Cf. 64 *χρονίζοντ' ἄχη βρύει*.

1009. *ἀνθεῖ*. In re mala tamen dicitur. Soph. Oed. Col. 611 *βλαστάνει δ' ἀπιστία*.

1010. *ἔδρασεν*. Clytaemnestra.

1010. *ἢ οὐκ ἔδρασε*. Turnebus. Libri *ἢ οὐκ ἔδρασεν*.

1010. *μαρτυρεῖ*. Testatur hoc pallium, Clytaemnestram caedem fecisse.

1012. *ξυμβάλλεται.* Cum tempore sanguis adaequatur, ut idem communiter effecerint: alios colores delevit tempus, alios cruoris respersio.

1014. *αὐτὸν.* Patrem. Cf. vs. 8 *οὐ γὰρ παρὼν ᾤμωξα.* Nunc, illud pallium tenens, quo postremo pater indutus fuerat, illa quasi peragit, quae corpus ipsum efferens peragere voluisset, ut ejus vitam et benefacta gloriamque laudaret, et defleret interitum.

1016. *ἔργα κ. τ. λ.* Facta significat Clytaemnestrae et Aegisthi, sortem patris sui: verum quum jam addat se totum genus deplorare, se quoque significat.

1017. *νίκης μιάσματα.* Aliquando putavi, significari piacula, quae materies fuissent victoriae nunc reportatae, eoque nomine significari rete et pallium, signa caedis Agamemnonis ac testimonia. Verum id non probo. Jam sentit se victoriam reportasse cum piaculo conjunctam, et angitur propter profusum maternum sanguinem. Νίκης habent M et R, *νίκας* G, idque retinent nonnulli: tamen in G supra *α* scriptum est *η*.

1019. Persuasum mihi est, vitium latere in *ἄτιμος.* Scholiasta explicat *ἀτιμώρητος.* Τιμὴ certe tam poenam quam honorem significat. Verum haec non jam ad poenam Aegisthi et Clytaemnestrae pertinent: sed ad Orestem. Quum hic jam semet ipsum deplorare inceperit, Chorus eum consolari vult: neque in ea sententia de poena mentio facienda est, sed de dolore vel labore: quod recte exprimitur ea sententia, quae jam continuo sequitur, *ἐς μόχθον κ. τ. λ.* Hermannus conjecit *εὔθυμος*: non male quidem, nec tamen id mihi satisfacit. Retineo id quod scriptum est, exspectans melius. Et versum requiri apparet anapaesticum. Adspiciens Chorus Orestem post

tot mala suae gentis jam ipsum quoque dolentem meminit sortis communis humanae.

1019. *ἀμείψεται.* Recte ad hoc verbum vocat scholiasta praepositionem *διὰ*, ut sit pro *διαμείψεται.* Sunt qui scribendum puteut *ἀμείψει.*

1019. *ἐς μόχθον.* Sic libri, praeter M, qui habet *ἐς μόχθος.* Quidam recentiores editores haud sine acumine *ἒ ἒ μόχθος.*

1020. *ὃ δ' ἥξει.* Ita Turnebus. In M *ἥξε* secundum Hermannum, secundum alios *ἥξευ*, in G *ἥξε*, apud R *ἥξεν.* In *αὐτίχ'* ex *ἥξει* intelligitur *ἥκει*, et in *ἥξει* propter significationem futuri intelligitur *ὕστερον.*

1021. *ἀλλ' ὡς κ. τ. λ.* Sic recte emendatum credo. In M est secundum Hermannum *ἄλλος ἂν εἰδῇ τοῦτ' ἄρ' οἶδ' ὅπῃ τελεῖ.* G et R idem habent, sed G *ἂρ*, et R *οἱ δ'*. Affert Blomfieldus Eur. Or. 523 *ὡς οὖν ἂν εἰδῇς*, et alia exempla.

1023. *ἐξωτέρω.* Plerique editores post hoc adverbium interpungunt, ita possint haec pertinere ad *τελεῖ.* Non intelligo, quorsum haec res evadat, quum jam sit extra spatium. Sed cum sequentibus conjunxi, ut sententia pendeat a *φέρουσι.* Recte monet Hermannus, non offendere conjunctionem *γὰρ* ab initio longius remotam, quum posita sit post verbum quod sententiam regat. *Ἡνιοστρόφου* est adjectivum cum *δρόμου* conjunctum: spatium in quo aurigari oportet: spatium curule. Recte confert Stanlejus Prom. 881 *ἔξω δὲ δρόμου φέρομαι.*

1025. *ὑπορχεῖσθαι.* Cf. 167.

1029. *φίλτρα.* Hujus vocabuli appositio est *Λοξίαν χρήσαντα.* Apollinis oraculum, quod me amore hujus audaciae imbuit. *Πληστηρίζεσθαι* ab Hesychio explicatur *τὸ ὑπερτιμᾶσθαι ὤνιον.* Scholiasta explicat *καυχῶμαι.* Quae

significatio ab illa ita tantum differt, ut a re singulari ad universam translata sit: hoc loco apta videtur.

1031. πράξαντι. Sic libri. Nonnulli ediderunt πράξαντα.

1032. παρέντα. Sic libri, praeter G, qui habet παρόντα. Cf. 925. Alii edidere παρέντι. Recte monet Hermannus, esse aposiopesin.

1033. τόξῳ. In M τόξωι. Cf. 492. Ne conjiciendo quidem aliquis possit illorum malorum magnitudinem assequi. Cf. 273.

1035. θαλλῷ καὶ στέφει. Signa supplicum.

1037. φέγγος ἄφθιτον. Cf. Plutarchus, Numa IX πῦρ ἄσβεστον Πυθοῖ.

1038. φεύγων. Sic libri. Turnebus φεύγειν.

1038. κοινὸν. Cognatum, maternum. Cf. Eurip. Sup. 147 αἷμα συγγενὲς φεύγων χθονός. Stanlejus maluit καινὸν: dicitur quidem 1055 ποταίνιον, sed h. l. praestat κοινὸν.

1038. ἐφ' ἑστίαν ἄλλην. Sic Turnebus. Libri ἐφέστιον ἄλλην. Hermannus ἐφέστιον ἄλλῃ.

1041. M et G καὶ μαρτυρεῖν μοι μενέλεως ἐπορσύνθη κακὰ, idem R, sed μενέλεας. Recepi emendationem eam, quae e multis propositis mihi videbatur eligenda: nec tamen locum sic sanum puto. Credo duos fuisse versus, quorum prior haberet postrema verba ἐπορσύνθη κακὰ, posterior prima καὶ μαρτυρεῖν.

1042. Cf. Agam. 1282

φυγὰς δ' ἀλήτης τῆσδε γῆς ἀπόξενος.

1043. κληδόνας. Non gloriam reportatae victoriae significat, sed caedis maternae et exsilii tristem famam. Atque ita haec verba intellexisse Chorum ex responsione apparet.

1043. λιπών. Fortasse legendum λίπω. Sed potius existimo participium pro conjunctivo positum esse.

1044. γε. Libri τε et mox bis μὴ δ'.

1045. φήμῃ πονηρᾷ. Libri φῆμαι πονηραὶ. Alii φήμαις πονηραῖς. Klausenius φήμᾳ.

1046. Ἀργείην. Sic libri, sed in G est etiam Ἀργείων, quod non displicet. Porsonus emendavit Ἀργείαν.

1048. δμωαὶ γυναῖκες, αἵδε. Hermannus ποῖαι γυναῖκες αἵδε.

1049. φαιοχίτωνες. Sic libri. Turnebus φαιωχίτωνες: typothetae errore apud Hermannum Turnebo quoque tribuitur φαιοχίτωνες. Librorum scripturam Hermannus monet affirmari testimonio Tzetzae ad Chil. in Crameri Anecd. Ox. III p. 358: qui liber mihi nunc non ad manus est, sed in iis, quae Hermannus affert, video Tzetzem Aeschylo id vocabulum ita scriptum tribuisse, hunc versum citantem

1049. πεπλεκτανημέναι. Pausanias L. I c. 28 § 6 memorat, Aeschylum primum Erinnyibus dedisse dracones in capite mixtos crinibus.

1050. ἂν μείναιμ'. M et R ἀμμείνοιμ', G ἀμείνοιμ'.

1051. πατρὶ. Haec amoris mentio, quem a patre meruerat, aptissime a Choro adhibetur ad sedandam animi anxietatem.

1052. μὴ φοβοῦ νικῶν πολύ. Sic libri. Alii de conjectura, haud absurda, μὴ φόβου νικῶ πολύ. Verum praestat retinere librorum scripturam. In tanta de patris interfectoribus reportata victoria Orestem Chorus timere nonvult: quemadmodum paulo ante ei dixerat, eum bene fecisse et liberatorem exstitisse civitatis.

1055. ἔτι. Stanlejus mavult ἔπι vel ἔνι.

1057. πληθύουσι. Ahrensius vertit: augentur numero. Verum significatur repletio sanguinis, quae deinceps jam plenioribus verbis exprimitur.

1059. ἔσται. M εἴσσ ὁ: G et R easdem literas habent, sed divisione et accentibus diversis. Nonnulli volunt εἷς σοι. Verum mirandum fuerit, Chorum Orestae ostendisse, unam tantum fore expiationem: quum paulo ante id ipse Orestes narrasset. Non in monendo versatur Chorus, esse unam expiationem, sed in consolando, quod certe illa futura erat. Turnebus εἴσω, idque retinet Klausenius, existimans Chorum Orestae suadere, ut intus in aedibus patriis expietur: ibi enim esse statuam Apollinis. Verum non credibile est, Chorum voluisse Orestem avertere, ne obediret oraculo, quod ille aperuit 1036. Nec de statua Apollinis in domo posita quidquam apparet.

1059. Λοξίου. Sunt qui mutandum putent scribantque Λοξίας. Quod non probo. Recte comparatus est Eurip. Iph. Taur. 916

ἐλθὼν δ' ἐκεῖσε, πρῶτα μέν μ' οὐδεὶς ξένων
ἑκὼν ἐδέξαθ', ὡς θεοῖς στυγούμενον.

1059. προσθιγὼν. Libri προσθίγων.

1062. ἂν μείναιμ'. Sic R. M ἀμμείναιμ', G ἀμμείβομ'.

1063. ἀλλ' εὐτυχοίης. Cf. Soph. Oed. Tyr. 1178.

1064. καιρίοισι. Ita M, G et R. In codice Robortelli καὶ ῥύοισι συμφορᾶς. Turnebus καιρίοις ἐν.

1065. Haec jam post Orestae discessum Chorus pronunciat.

1067. πνεύσας. Libri πνεούσας.

1067. γονίας. Scholiasta dicit esse ventum difficilem, ortum e seneritate: quae significatio partim tantum huic loco conveniret, quum serenitas non fuisset. Hesychius

vero explicat εὐχερής. Verum recte Blomfieldus demonstravit, nomina ventorum desinere in -ίας, formata ab aliis nominibus, afferens tum alia exempla, tum Aristoph. Eq. 437.

ὡς οὗτος ἤδη Καικίας καὶ συκοφαντίας πνεῖ.

Ergo γονίας est ventus e gente spirans, talis, qualem convenit e tam infelici domo oriri et denuo in illam irruere.

1068. παιδόβοροι. Libri παιδόμοροι.

1069. τάλανές τε. Sic libri. Alii ediderunt τάλανός γε.

1070. ἀνδρὸς βασίλεια πάθη. Cf. Pind. Ol. IX 166 Αἰάντεον Ἰλιάδα βωμὸν, quaeque ad eum locum notavimus.

1073. τριτὸς σωτὴρ. Recte Blomfieldus monet, fortasse respici ad Deum sospitatorem: de quo cf. ad 578.

1076. μετακοιμισθὲν. Conjungendum cum καταλήξει: ubi finietur et sopitum erit? Valckenarius conjecit μέγα κοιμισθὲν.

Pag. 137 addendum ad annotationem ad vs. 574. Hermanni sententiae de verbo ἐρεῖν non convenit Plato, Gorg. 495 a εἴπερ παρὰ τὰ δοκοῦντα σαυτῷ ἐρεῖς, et Menex. 234 b ὅστις ἐρεῖ ἐπὶ τοῖς ἀποθανοῦσι.

Pag. 18	vs. 418	τύχοιμεν ἄν; corrige	τύχοιμεν ἄν;
38	928	οἱ ἐγὼ·	οἵ ἐγώ·
117	lin. 30	Hermannus	Hermannus:
169	23	Ol	Ol.



